R. *BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE*
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE

RACCOLTE DAL

DOTT. DIOMEDE BONAMICI

di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
BUONAMICI
415

Digitized by Google

Baron. 415

Digitized by Google

THOMÆ CRENII

DE

SINGULARIBUS SCRIPTORUM

DISSERTATIO EPISTOLICA

AD

Juvenem & ingeniô feſtivô & ſanctis planè
atqve incorruptis moribus, eruditum,
cunctíſqve vitæ bonis ac fortunæ
muneribus excultum

MAURICIUM GEORGIUM
WEIDMANNUM

Lipſienſem, decoris paterni æmulum.

LUGDUNI IN BATAVIS

Litteris ABRAHAMI VANDER MIJN.

CIƆIƆCCV.

Digitized by Google

QVAMQVAM ſine litteris commendatitiis haut temere qvemqvam in amicorum meorum recipere numerum ſoleo: TIBI tamen, ſicut olim KNOCHIO juniori, vel citra eas in conſvetudinem me dare volui ob integritatem, famam, atqve merita rem in publicam litterariam admodùm eximia nec numerô pauca b. Parentis Tui, cui, Athanaſium, Euſebium, Gregorium Nazianzenum, Joſephum, Dionyſium Halicarnaſſeum, Julianum, Abarbenelem, & ceteros qvàm optimè & ſatis accuratè præter morem ceterorum typographorum plerorumqve ſcriptores editos debemus. Delectabat me Vitrici Tui, hominis integerrimi & multùm providentis, Johan. Ludovici Gleditſchii commemoratio voluntatis erga me, itémqve Tuæ ipſius, qvam egregiam eſſe, præ Te ferebas, eóqve magis mecum ipſe tacitus commovebar, qvòd intelligebam, nulla mea in vos veſtrámqve honoratam exſtare merita familiam & voluntatis indicia. Ceterùm qvô minora hæc, imò qvia planè nulla, ut dixi, eô benignior atqve nobilior adparet in vobis animus, qvos ideò maximi precii homines animô

nimô meô judicavi. Me certè ita complexus es, ut nihil fuerit, qvod de Tua mihi benevolentia polliceri non potuerim. Et qvia Tu rarô ſtudia diligis exemplô humaniora, non expers eorum, Tecum de libris & re libraria non ſemel ſermones inſtitui, in qvibus cùm & inter alia meminiſſem, me hanc ipſam habere Diſſertationem in manibus, uſqve adeò ejus Tibi placuit argumentum, ut illius Dedicationem Tibi non ingratam futuram, facilè non tam conjicere, quàm ſcire potuerim. Inde eâ & TE & defuncti qvoqve Parentis tui, nominum eorumdem, memoriam tot poſt annos venerari volui.

I. Incipiam a ſacris pro more meo. Habet omnino Scriptura ſacra, ſicut unaqvæqve diſciplina, qvædam in ratione dicendi, explicandi, narrandi, demonſtrandi & diſputandi, peculiaria, qvæ qvi non obſervârit, perdidicerítqve, facilè in errorem labetur. *In unaqvaqve*, inqvit Andr. Hyperius, II. de ratione Studii Theolog. c. XII. p. m. 182. edit. Baſil. M D LXXXII. in 8. *diſciplina, veluti in juriſprudentia, in medicina, propriam qvandam advertimus ſervari docendi rationem, qvomodò non tantùm vocabula, ſed res qvoqve unicuiqve earum artium pro-*

pria exiſtunt. Atqve hiſce ex tribus, rebus inqvam, verbis, docendi ratione, diſcrimen omne inter ipſas diſciplinas conſtituitur. Ad hunc igitur modum ſacrorum librorum ſcriptoribus qvædam eſſe peculiaria, cùm in rebus ipſis & verbis, tùm vel maximè in docendi ratione, perſvaſiſſimum omnibus eſſe debet. Et paucis interjectis pergit: *Ceterùm cùm varia ſint in toto volumine ſacro opuſculorum genera (in aliis námqve hiſtorias, in aliis prophetias, in aliis pſalmos, in aliis ſententias generales, diſputationéſqve propemodùm philoſophicas, in aliis epiſtolas vides contineri) ſtatuere oportet, ſicut qvædam ad conſvetudinem Scripturarum pertinentia notantur in libris univerſis, ita qvædam in qvibuſdam libris ſeparatim obvenire, qvaſi iis propria, eadémqve majori diligentiâ advertenda. Qvô qvidem pactô novimus inter ſcriptores aliarum rerum, aliter hiſtoriographos, aliter poëtas, aliter philoſophos, aliter oratores, ſua tradere atqve explicare. Enimverò hiſtoriographos videmus plerumqve paucis primò proponere, qvæ mox fuſiùs ſunt dicturi: deinde narrare initia, cauſas, progreſſus negociorum: aliqvoties etiam eorum aperire conſilia, qvi res magnas peragendas ſuſcepêre: qvædam verò ſtrictim, qvædam auguſtiùs exponere: tranſitionibus crebris uti: admiſcere nonnunqvàm, qvæ re-*

reconditam doctrinam in ſe continent: argutas ſententias ſubinde qvaſi floſculos & emblemata aſpergere: deniqve in hoc laborare, ut mirabili varietate lectorem demulceant, & demulcendo pariter doceant. Poëtæ porrò pluſculum ſibi indulgent: longè repetunt exordia: neqvaqvàm obſervant rerum geſtarum ordinem: deſcriptiones attexunt varias, qvibus interdum diutius immorantur: ſimilitudinibus, comparatis, & amplificationibus abundant: deos deáſqve de rerum adminiſtratione, déqve arduis negociis conſultantes introducunt: atqve, ut cætera omittamus, ad delectandum non pauca, perinde atqve ſi privilegium ea de re eſſet irrogatum, comminiſcuntur. Philoſophi contrà, libenter ſimplici oratione veritatem tradunt, nihil adferentes qvod ſupervacaneum aut inutile videri qveat: ad certam methodum, qvæ ad docendum aptiſſima creditur, ſe obſtringunt, cujus fines vix egrediuntur, magìs in hoc incumbentes, ut clarè doceant, & ipsâ rerum vincant gravitate, qvàm ut animos permoveant dictionis illecebris. At verò orator omnia ſua producit auguſtâ ſpecie viſenda: faſtum & pompam præ ſe fert, undiqvaqve mutuatur, qvò ſe oſtentet: probabilia argumenta pro neceſſariis obtrudit: victoriam conſtituit in verborum ac ſententiarum ſuavi diſpoſitione, quâ non tam animi qvàm aures ſe-

feriuntur. Qvando igitur ad eundem modum omnis illa varietas in litteris ſacris invenitur (nam alii qvidem libri ſunt Poëtarum ſcriptis propemodum ſimiles, ut Pſalmi: alii hiſtoriographis annumerari debent, ut libri Moſæ, Jehoſua, Judicum, Regum, Heſter, Paralipomenon, Euangelia, Acta apoſtolorum: alii cum Philoſophorum diſſertationibus & didacticis ſcriptis conferendi, ut Hiob, Proverbia, Eccleſiaſtes: alii Oratorum dignitatem redolent, ut pleraqve conciones Prophetarum, nonnullæ Apoſtolorum epiſtolæ) qvivis profectò intelligit, nos non immeritò de unoqvoqve genere librorum aliqva ſeparatim adnotare debere. Item c. III. p. m. 99. extr. *Ceterùm qvæ ad conſvetudinem pertinent ſcripturarum, ita veniunt rurſus diſtingvenda, ut alia qvidem ſtatuamus communia libris ſacris univerſis: alia verò tantùm qvibuſdam libris qvaſi propria, veluti hiſtoricis, propheticis, item Pſalmis, & Paulinis epiſtolis. Nam hos libros in ſuo qvoſqve genere, cùm diverſa in iis inſit partim materia, partim docendi ratio, aliqvid obtinere proprium, qvod diligenter obſervare is debet, qvi cupit intelligere, extra controverſiam eſt. Siqvidem nullus non novit, philoſophos, oratores, poëtas, hiſtoriographos, ſicut in diverſis occupantur argumentis, ita aliâ atqve aliâ uti docendi dicendi-*

diqve formâ: ac ſingulos qvædam ſibi vendicare, qvibus à reliqvis diſtingvuntur, peculiaria. Itaqve his de cauſis ſolent pii lectores ſæpenumero hærere: & modò hoc, modò illud incidit, qvod eos remoratur, atqve faceſſit negotium. De Singularibus Scripturæ exſtat Oratio inauguralis Abrahami Heidani hìc habita & edita annô M DC XLVIII. in 4to; e cujus p. m. 5. hæc adſcribo: *Cùm omnia, qvæ de Deo mortalibus innotuêre, ſumma ſint, & omni ſtudiô deprædicanda, ſive Deum ipſum, ſive ejus ſpectes opera: nihil tamen ex omnibus occurrit, ex qvo ejus ſapientiam, & erga nos amorem, & beneficum animum, & miſericordiam & juſtitiam, & ipſum Numinis qvendam qvaſi characterem & genium meliùs & certiùs diſcas, qvàm ex ejus Verbo. Qvô & ſapientiam & potentiam & bonitatem anteà in operibus vagas & ſparſas, nec niſi cum labore, & animi fatiſcentis æſtu inveſtigandas, in unum qvaſi congeſtas, ſvavi & mirando compendiô contraxit. Ut non tam ſit ſtupendus Deus in cœli & terræ creatione, qvàm eſt in ſuo verbo.* Enarrant qvidem Cœli gloriam Dei, Pſal. XIX. 2. *ſed non voluntatem. At in verbo præter gloriam, revelatur etiam voluntas ejus. Atqvi non gloriæ ejus cognitione, qvæ ſcrutatorem fere opprimit, ſed voluntatis*

cognitione ſalus conſtat. Et p. 11. *Jam ſi ex ſermone*, inqvit, *qvalis qviſqve ſit, videri poſſit, & proprius cuiqve animi character, & idea mentis eſt Oratio, nihil eſt in qvo ſuam indolem, & deitatis qvendam conſpectum meliùs expreſſit Deus, qvàm in verbo. In qvo tales & tam divini ſapientiæ theſauri reconditi ſunt, & ex qvo tam uberes ſcientiæ latices fluunt, ut nihil huic ſimile, nihil ſecundum, apud ullas gentes reperire detur. Accedit dein modus, qvô cæleſtis hæc ſapientia in Scripturis eſt tradita, qvi ut illam ſolam decet, ita peregrinum omnem ornatum reſpuit. Et qvia hiſce duobus Scriptura ſacra, qvæ velut theca & armamentarium eſt verbi, abſolvitur, qvâ parte planè eſt ſingularis, non ineptè facturi videmur, ſi totam hanc tractationem hôc Emblemate exornemus, ut ſit de* Singularibus Scripturæ. Apoſtolum Paullum in ad Hebræos Epiſtola argumentum ejúſqve tractationem ſingulari expendere ſtilô, in peculiari Oratione auſpicali Profeſſionis Theologicæ, in Academia Regiomontana habita, & Veſtibulo in Portam veteris & munimentum novi Teſt. præmiſſa, oſtendit magnus ille ac venerabilis Doctor & Præceptor noſter b. Abraham Calovius. Subpono nonnulla ejus e p. m. 7. ſed numerum adſcripſi, edit. Dantiſc.

M.

M. DC XLIX. in 4to. *Circa tractationis* argumentum *pluſcula occurrunt*, *qvibus hac præ cæteris ſeſe commendat Epiſtola*, *utpote qvæ penè tota occupatur in rerum & ſingularium prorſus*, *& præclariſſimarum enarratione*, *de qvibus in reliqvis* θεοπνεύστοις *ſcriptis vel pauca tradita ſunt*, *vel qvæ tradita non adeò luculenter declarata reperiuntur*; *ut proinde pleraqve illa*, *qvæ hìc proponuntur*, *aut propria atqve peculiaria videri poſſint noſtræ Epiſtolæ*, *aut certè peculiari modò abs eadem declarata*, *illuſtrata atqve demonſtrata judicari debeant*. Et p. 12. *Qvod verò ad probandi modum*, inqvit, attinet, ſingularis *eſt atqve elegans ea probandi ratio*, *qvâ ſæpe utitur hæc Epiſtola*, *cum* ex obſervatione unius voculæ argutè concludit τὸ κρινόμενον, vel id qvod intendit. *Ita urget particulam* σήμερον hodie *in* κελεύσματι *Davidico*, Hodie ſi vocem ejus audiêritis, *h. e.* qvotieſçunqve audiêritis, *adeóqve* perpetuo, *qvia qvotidie eſt hodie*. *Non minus argutè colligit è voce* διαθήκη *partim ut* fœdus *ſignificat*, *ubi Chriſtum melioris fœderis* ἔγγυον, Sponſorem *facit*; *partim inflexâ vocis ſignificatione*, *ut* teſtamentum *notat*; ubi teſtamentum eſt, ibi mors intercedat teſtatoris neceſſe eſt. *Simile eſt*, *qvod e voce* Novi Teſtam. *infert*; Dum novum

dicit, antiqvavit prius, qvod verò antiqvatur & ſeneſcit, prope eſt ut evaneſcat. *Huc pertinet, qvòd e particula* ἔτι ἅπαξ *in oraculo* Haggæi, adhuc ſemel & movebo cœlum & terram, *ſubtiliùs colligat abolitionem rerum inſtabilium & ſubſtitutionem ſtabilium ſeu æternarum. Porrò ſingularis etiam gratia deprehenditur in* typorum cum circumſtantiis enarratione & applicatione *diligentiori, in qva omnium rectè ſentientium judiciô, præ ceteris N. T. ſcriptis excellit hæc Epiſtola. Non adducam in præſens* ſacrificiorum *curioſam conſiderationem, non* ſtructuræ ſanctuarii *operoſam enarrationem; non* Sacerdotii Aaronici *accuratam comparationem: Sed in teſtimonium unicè advocabo* dignitatis Melchiſedeci *ſubtilem demonſtrationem. Quam abſolvit tum* Etymologicâ *nominum evolutione, qvòd* Melchiſedech *ſit* Rex juſtitiæ, *& qvia ſedes ejus* Regia Salem, Rex pacis: *Tum* myſticâ *hiſtoricarum circumſtantiarum notatione; qvòd hiſtoria eum faciat* ἀπάτορα *&* ἀμήτορα, *qvòd familiam ejus ſubticeat, qvòd neqve natalem neqve obitum ei tribuat: Tum deniqve* argutâ comparatione cum Abrahamo, *qvi Melchiſedeco pendit decimas ſpoliorum & à Melchiſedeco recepit benedictionem, ubi axiomatibus inſiſtit politicis:* Recipiens decimas dignior

gnior eſt dante: *&*, Minor à majori benedicitur citra controverſiam: *Ut & cum* Levi, *qvod hunc etiam decimaverit Melchiſedech: qvòd* Phyſicâ *ratione demonſtrat*, qvia Levi fuerit in lumbis Abrahæ decimas dantis occurrenti Melchiſedeco. *E qvibus omnibus praeminentiam & dignitatem Melchiſedeci conficit non minus ſolide qvam argutè; cui qvidem demonſtrationi non habetur facilè ſimilis in univerſa Scriptura Sacra.* Cetera videantur in Oratione ipſa. Seqventes Canones: *a ſingularibus privilegiis ad communem ordinem non valet conſeqventia: Ex ſingularibus exemplis & extraordinariis non licet regulam generalem exſtruere*; explicat b. C. Finckius, Cent. I. Can. XXVIII. XXIX. p. m. 48. ſ. edit. Jen. M. DC LIII. in 12.

II. JOHAN. ÆPINUS primus ex Euangelicis Wittebergæ unà cum Caſparo Crucigero & Johanne Bugenhagio ſacroſanctæ Theologiæ Doctor ſalutatus, annô M. D XXXIII. primúſqve Hamburgenſium Superintendens; Davidi Chytræo in Orat. de vita Joh. Frederi Sen. apud Cl. Joh. Mollerum Flensburgenſem part. II. Iſagoges ad Hiſtoriam Cherſoneſi Cimbricæ, c. V. §. V. p. m. 465. editæ Hamburgi M. DC XCIX. in 8t. *vir excellenti ingeniô*,

geniô, *pietate*, *prudentiâ ſpirituali & Politicâ*, *eximiâ moderatione*, *eloqventiâ*, *& aliis inſignibus donis DEI ornatus* eſt. Incomparabilis Doctor noſter Martin. Chemnitius, part. III. Locor. Theologicor. p. m. 69. b. edit. Francof. M. DC LIII. in fol. hoc ſingulare de ipſo tradit, qvòd Æpini *eruditio penè ipſò vivente latuit*. Qvæ Chemnitii verba qvia b. Paulùs Tarnovius Theologus Roſtochienſis primarius, cujus memoria in pretio eſt apud me, laudavit in vita Lucæ Bacmeiſteri, p. m. 14. edita RoſtochI, annô non additô in 4to, nec tamen Chemnitii partem Locor. nec paginam a nobis citat. addidit, ſubjiciemus hujus verba, & apud Mollerum maximam partem dictô locó reperienda: Æpinus *vir* fuit *ingeniô*, *multiplici lingvarum*, *artium & rerum theologicarum ſcientiâ verè magnus*, *qvamvìs ejus* eruditio pænè ipſo vivente latuerit, *& primùm ſub forma Interreligionis innotuerit*, *ſicut de eo* Dn. Chemnitius in Explicatione Locor. *communium teſtatur*; *adeò*, *ut* Dn. Philippum, *cùm vidiſſet*, *qva contra metaxycam illam fidei & confeſſionis formulam & argumenta in ea ab adverſariis propoſita ſcripſerat*, *illius pluris qvàm ſuas feciſſe ſolutiones affirmet.* Vide & Melchioris Adami Vitas Germa-

nor.

nor. Theologor. p. m. 244. edit. Heidelberg. M. DC XX. in 8t. B. D. Conr. Schlüſſelburgius, lib. ult. Catalogi Hæreticor. p. m. 701. extr. ſ. edit. Francofort. 1599. in 8t. *Eccleſiæ*, inqvit, *trium maritimarum civitatum*, *Lübecæ*, *Hamburgi*, & *Luneburgi peculiari graviſſimô & nervoſiſſimô ſcriptô*, *publicè editô*, *cujus auctor fuit Theologus præſtantiſſimus*, D. Joannes Æpinus, *libellum* Interim, & *Adiaphoriſticas colluſiones refutârunt*. Pluribus iſto de Theologo agit diligentiſſimus Mollerus loc. cit. item c. X. §. III. VII. VIII. IX. & X. princip. p. m. 569. ſ. & b. Joh. Micrælius, III. Syntagmat. Hiſtoriar. Eccleſ. Sect. II. Q. XLVIII. p. 732. ſ. edit. Lipſienſ. M. DC LXXIX. in 4to.

III. AGATHIAS, qvem falsò Chriſtophorus Perſona, & David Chytræus in Chronologia Hiſtoriæ Herodoti & Thucydidis, p. m. 80. edit. Roſtoch. M. D LXXVIII. in 8t. *Smyrnæum* putant, cùm, ipſo in præfatione ajente, Murinæ natus ſit, qvæ in Aſia veterum Æolienſium colonia eſt ad oſtia Pythici fluminis ſita, patre Memnoniô, Procopii Hiſtoriam pertexuit, & ab anno Juſtiniani XXVII. qvi fuit, auctore Chytræô, dict. loc. à natô

Chri-

Chriſto DLIV. uſqve ad finem imperii Juſtiniani (de qvo tamen non omnia refert, ſed inde, ut ipſe ait, cœpit, ubi deſiit Procopius) & annum Chriſti IↃ LXVI. bella cum reliqviis Gothorum, & Francis, eorúmqve ſociis, Narſete duce feliciter confecta: item cum Perſis, in Lazorum regione ſeu Colchide geſta, recitavit. Qvâ occaſione, librô IV. *integram & dignam obſervatu ſeriem regum Perſicorum ab Artaxerxe, qvi annô Chriſti* CCXXX. *Parthis Imperium eripuit, uſqve ad Juſtiniani Imperatoris tempora, & annum Chriſti* IↃXXX. *intexuit.* In fine Hunnorum irruptiones in Thraciam & Græciam recenſet, qvos Beliſarius ſenex feliciter repreſſit; notante Chytræô, d. l. Confer Ger. Joan. Voſſium, II. de Hiſtoric. Græcis, c. XXII. p. 270. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC LI. in 4to. Petr. Scriverius, Epiſt. VII. earum, qvas Ant. Matthæus JCtus Tomo I. Analectorum ſuorum ſubjecit, p. m. 557. *Agathiam*, inqvit, *Auguſtæ editum ſi putas, Catalogi vitioſiſſimè editi fidem ſeqvutus, fruſtra es. Voluit manus collectoris* Auguſti, *videlicet Juſtiniani. Aberravit, & poſuit* Auguſtæ. *Verſio erat Latina Vulcanii.* Qvæ obiter hic, ut Studioſi diſcant, qvid Catalogis librorum tribuendum ſit.

IV. F.

IV. E Joann. Sleidani libr. XXI. Commentar. princ. p. m. 638. edit. Argentor. annô non additô in 8t. repetit b. D. Conr. Schlüſſelburgius, ſummâ gravitate atqve conſtantiâ Theologus, lib. ult. Catalogi Hæreticor. p. m. 691. Auctores Libri Interim a Cæſare Carolo V. & Ferdinando, ob navatam operam liberalia dona abſtuliſſe. Joh. AGRICOLA Iſlebius, Lutheri civis, annô M. CCCC XCII. auctore D. Micræliô, III. Syntagm. Hiſtoriar. Eccleſ. Sect. II. Q. XLVIII. p. m. 733. *natus, Superintendens in Marchia, noſter primò, deinde ſuus, tandem Pontificiorum* fuit. *Suus qvidem, cùm annô* M. D XXXVIII. *errorem Antinomorum ſpargeret, donec a Luthero ad palinodiam adduceretur; Pontificiorum autem, cùm librum Interimiſticum conſcriberet, homini Epicuræo ſimilior, qvàm pio Theologo,* ut ſcribit Oſiander ad annum M. DLXVI. *qvô obiit Agricola, qvi liberale donum,* ut Sleidanus ait; *a Cæſare ſimul & Ferdinando rege tulit.* Schlüſſelburgius, *multô,* inqvit, *aurô donatus domum rediit. Julius Pflugius Canonicatu & argentô ornatus eſt. Michael verò Sidonius,* do verba Sleidani & repetentis Schlüſſelb. *Epiſcopatum Merſeburgenſem in Saxonia deinde eſt conſecutus: hinc*

jo-

jocus illorum, qvi Chriſma dicebant ab eis & oleum Pontificium inter alia defendi, veluti rem ſacram & ſaluti neceſſariam, ut ipſi nimirum auctores libri Interim *diſcederent unctiores.*

V. Glaucha, Miſniæ oppidum, dedit nobis Georg. AGRICOLAM diligentiſſimum Naturæ, inprimis rei Metallicæ ſcrutatorem, *qvam ille ſic tractavit*, ut *Ariſtoteles ac Plinius*, do verba Joan. Bodini, c. V. Methodi Hiſtoricæ p. m. 106. edit. Baſil. CIↃ IↃ LXXIX. in 8r. *in eo genere nihil intellexiſſe videantur, nec mirum videri debet, ſi Germanos & Britannos accire ſolent Itali & Hiſpani, qvòd cœleſti qvodam munere occultæ terræ venas invenire, & inventas aperire nôrunt.* Auctore Jac. Auguſtô Thuanô, part. 1. Hiſtoriar. Tom. II. lib. XVI. ad ann. M. D LV. p. m. 669. edit. Pariſ. CIↃ IↃC IX. in 12. Agricola *de re metallica, foſſilibus, & ſubterraneis animantibus ita accuratè hôc ſeculô ſcripſit, ut omnes antiqvos in eo genere longe ſuperaverit, & exactâ non ſolùm eorum, qvæ à veteribus prodita ſunt, explicatione, ſed & multarum rerum, qvas veniens ætas indagavit, veſtigatione eam* Hiſtoriæ Naturalis *partem illuſtraverit: Additâ, poſt* Gulielmum Budæum, Leonardum Portium, & Andream

dream Alciatum, *de Ponderibus*, *Menſuris*, *de pretiis Metallorum & Monetarum diligentiſſimâ tractatione.* Alciati Libellus de Ponderibus & menſuris; Gvl. Budæi qvædam eadem de re, ut & Philippi Melanchthonis de iiſdem, ad Germanorum uſum, ſententia, prodiêrunt Haganoæ M. D. XXX. in 8t. Natus eſt Agricola annô M. CCCC XCIV. Initiô Lutheranarum, poſt Pontificiarum ſtudioſus partium, qvibus & annô CIↃ IↃ LV. inmortuus, qvare nec Chemnicii, ubi Medicinam fecit, uti & in Valle Joachimica, corpus ejus ſepultum fuit, ſed Cizam delatum. Libri Ejus de Menſuris & ponderibus Romanorum atqve Græcorum; De externis Menſuris & Ponderibus; Ad ea, qvæ Andr. Alciatus denuo diſputavit de menſuris & ponderibus, brevis defenſio; De Menſuris, qvibus intervalla metimur; De reſtituendis ponderibus atqve menſuris; De pretio metallorum & monetis; editi ſunt Baſileæ M. D L. in fol. Epitomen in omnes Agricolæ de Menſuris & Ponderibus libros a Gul. Philandro Caſtilionio factam habes in fine M. Victruvii Pollionis libror. de Architectura, editor. Lugduni M. D LII. in 4to.

VI. Andreas ALCIATUS Mediolanenſis,

ſis, *primus*, auctore Jac. Aug. Thuanó, circa finem lib. VIII. p. m. 739. edit. Lutet. CIↃ IↃC IX. in 12. *purioris litteraturæ & antiqvitatis cognitionem ad Juris ſcientiam attulit.*

VII. Philippus ALEGAMBE in Bibliothecæ fine non paucos ex ordine Jeſuitarum anonymos, aut ſub alienis fictíſqve nominibus latentes, & antehàc ignotos detexit, obſervante Gisb. Voetiô, lib. II. Bibliothec. Studioſi Theol. c. II. p. m. 255. extr. edit. Ultraj. M. DC LI. in 12. Indicem Jeſuitarum, qvi in rerum Theologicarum certamen larvati prodiêrunt, præfixit Anæretico ſuo Petrus Aurelius Pariſiis edito M. DC XXXIII. in 8t.

VIII. Hieron. AMALTHEUS Philoſophus & Medicus præſtantiſſimus, *eâ*, ſi Thuanum audimus, part. IV. Tom. IX. Hiſtor. ad ann. M. D LXXIV. p. m. 172. *morum ſuavitate fuit, ut vel ſolo adſpectu omnium in ſe benevolentiam adliceret: in verſibus pangendis præterea ita excelluit, ut M. Anton. Muretus acerrimus harum rerum judex ei inter Italos palmam detulerit.*

IX. AMBROSIUS patriâ Romanus, Liguriæ primùm & Inſubriæ Præſes, poſt autem Mediolanenſis Epiſcopus, *brevis &*

di-

dilucidus eſt Hyperio, IV. de ratione Studii Theolog. c. IX. Obſ. XIV. p. 737. At Eraſmô judice, lib. II. Eccleſiaſtæ, p. m. 219. editi Baſil. M. D XLIV. in 8t. *habet argutas & ſententias adfectatas, ſæpe etiam ſubobſcuras, ut ad illud genus accedant, qvod Græci vocant νοήματα.* Enimverò gravi & generoſo in concionatorio genere Ambroſius & Auguſtinus plus habent nonnunqvàm ſvavitatis ac majeſtatis, qvàm acrimoniæ preſſæ. Hyperio adſentitur Sixtus Senenſis Ord. Prædicat. IV. Bibliothecæ ſanctæ, p. m. 194. a. edit. Pariſ. M. DC X. in fol. ſcribens: *Eſt genus expoſitionis ejus varium, ſed myſticis præcipuè ſenſibus inſiſtens, ſic tamen, ut interdum litteræ ſenſus non negligatur omnino. Dicendi genus, prout rerum varietas expoſtulare videtur, varium eſt, ſed ubiqve lucidum ac perſpicuum eloqventiæ flumen effundens, ut ait Auguſtinus: qvi etiam in qvarto, De doctrina Chriſtiana, volumine, c. XXI. profert ex operibus Ambroſii pulcherrima qvædam exempla triplicis Ambroſianæ elocutionis, hoc eſt, ſummiſſæ, temperatæ, & grandis, ex qvibus oſtendit, eum de humilibus ſummiſſe, de mediocribus temperatè, de magnis ſublimiter pro rerum diverſitate ac dignitate dixiſſe. Adamavit tamen peculiari ac naturali qvodam affectu*

gravem & argutam brevium ſententiarum copiam, delectatus mirum in modum oratione, commatis & colis interdum numeroſis diſtinctâ, & floſculis picturatâ.

X. Inter probatiſſimos artifices, e qvibus definitiones Theologicæ petendæ, Gisb. Voetius, lib. I. Bibliothecæ, c. VI. p. m. 39. extr. commendat Gvil. AMESIUM & Joann. Maccovium; *qvi rem breviter & perſpicuè exprimunt, nec prolixis deſcriptionibus memoriam diſcentium onerant.* De ſententia ejuſdem ibidem Voetii, cap. XII. p. 106. Ameſius *titulis & ſubtitulis, præſertim in Theologia practica, compendia pleraqve longè ſuperat.*

XI. AMPHILOCHIUS Iconii oppidi ſatis ignobilis Epiſcopus, Aſianæ diœceſis Patriarchatum ſortitus, memorante Socrate, lib. V. c. VIII. Hiſtor. Eccleſ. Baſilii Magni & Gregorii Nazianzeni æqvalis notabiliter Sozomeno, VII. Hiſtoriæ c. VI. dicitur: *ἀσήμου πόλεως ἱερεὺς, ἁπλοῦς καὶ πραγμάτων ἀτελεστής, περὶ δὲ τὰ θεῖα νοῦν ἔχων;* i. e. *obſcuræ urbis antiſtes, ſimplex qvidem, nec in civilibus negotiis exercitatus: ſed rerum divinarum intelligentiâ præditus,* ſive prudens; cujus prudentiæ eximium ibi Socrates exemplum narrat, quod apud ipſum legi poteſt,

eſt, repetitum & a Nicol. Vedelio, c. II. Prolegomen. in libros de Prudentia veteris Eccleſiæ, p. m. 6. ſ. edit. Amſtelod. CIↃ IↃC XXXIII. in 8t. ubi & Theodoretum, Amphilochium σοφώτατον *ſapientiſſimum* adpellare, habet. Etſi multum prodeſt ſcientia; plus tamen obeſt ſæpius imprudentia maximè in Theologia; ut oſtendit ibi Vedelius & poſt eum Dorotheus Sicurus in Prudentia Theologica, Amſtelod. edita M. DC XXCIV, in 12. mendoſiſſimè.

XII. Petrus ANGELIUS, cenſente Thuanô, Tom. V. Hiſtor. lib. CXVII. ad ann. CIↃ IↃ XCVI. *Poëticâ præcipuè excelluit; & Cynegetica ejus ac Syrias meritò inter complura alia egregia excellentis illius ingenii monumenta commendantur.* Cynegetica, Carmina & Eclogæ prodiêrunt Lugduni apud Gryphium annô M. D LXI. in 4to. Syrias Lutetiæ M. D LXXXII. in fol. cum ſcholiis Roberti Titii Florentiæ M. DC XVI. in 4to. Omnia ejus Poëmata Romæ M. D LXXXV. in 4to. Vide qvæ adtulimus Tom. II. Methodor. qvem de Philologia inſcripſimus, n. X. p. 472. ſ. & adde e Petri Victorii lib. XXXVIII. Variar. Lection. c. XV. extr. p. m. 451. edit. Florent. M, D LXXXII. in fol. iſta: Petri

Angelii *nomen valde notum & celebre eſt, propter multa ingenii ipſius monumenta, præterqvàm qvòd ille Piſis, in qva urbe humaniores litteras, diſciplinámqve vitæ ac morum docet, voce, qva quantáqve ſit ipſius ſcientia optimarum artium, cotidie declarat.*

XIII. ANTIPHON Rhamnuſius, (diſtingvendus ab eo, qvi ὀνειροκρίτης καὶ τερατοσκόπος dicitur, memoratus Didymo Grammatico & Hermogeni, lib. II. περὶ ἰδεῶν) Gorgiæ Leontini florens temporibus, decem, qvi numerantur, Oratorum antiqviſſimus, ὅλως εὑρετὴς καὶ ἀρχηγὸς τοῦ τύπου πολιτικοῦ, i. e. *omnino inventor & princeps politici characteris* agnoſcitur ab Hermogene dictô locô. Juvat Plutarchus, cujus e Tomo II. Operum, p. m. 832. C. D. edit. Pariſ. MDCXXIV. in fol. hæc ſubpono: Καί τινας λόγους τοῖς δεομένοις τῶν πολιτῶν συνέγραφεν, εἰς τοὺς ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀγῶνας, πρῶτον ἐπὶ τοῦτο τραπεὶς, ὥσπερ τινές φασιν. τῶν γοῦν περὶ αὐτοῦ γενομένων οὐδενὸς φέρεται δικανικὸς λόγος, ἀλλ᾽ οὐδὲ τῶν κατ᾽ αὐτὸν, διὰ τὸ μηδέπω ἐν ἔθει τοῦ συγγράφειν εἶναι· οὐ Θεμιστοκλέους, οὐκ Ἀριστείδου, οὐ Περικλέους· καίτοι πολλὰς ἀφορμὰς καὶ ἀνάγκας παρεχόντων αὐτοῖς τῶν καιρῶν. καὶ γὰρ οὐ δι᾽ ἀσθένειαν ἀπελείποντο τοῦ συγγράφειν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων περὶ τοῖς συγ-

συγγραφοῦσιν περὶ ἑνὸς ἑκάστου τῶν προειρημένων ἀνδρῶν. ὅσους μέντοι ἔχομεν ἐπὶ τὸ παλαιότατον ἀναφέροντες ἀπομνημονεῦσαι τὴν ἰδέαν τῶν λόγων ταύτην μεταχειρισαμένους, τούτους εὕροι τις ἂν ἐπιβεβληκότας Ἀντιφῶντι πρεσβύτῃ ἤδη ὄντι, οἷον Ἀλκιβιάδην, Κριτίαν, Λυσίαν, Ἀρχῖνον. πρῶτος δὲ καὶ ῥητορικὰς τέχνας ἐξήνεγκε, γνώμης ἀγχίνους διὸ καὶ Νέστωρ ἐπεκαλεῖτο. i. e. *Præterea civibus qvibuſdam id petentibus orationes ſcripſit, qvibus cauſas in judicio ſuas tuerentur: idqve primus ipſe aggreſſus a nonnullis dicitur. Sane eorum, quos ipſe ætate ſubſecutus eſt, nullius ulla juridicialis exſtat oratio: ac ne æqvalium qvidem ejus, Themiſtoclis puta, Ariſtidis, Periclis: cùm qvidem tempora his & occaſionum ſatis offerrent, & neceſſitatis imponerent. Neqve verò hos imbecillitas a ſcribendo detinuit: qvod ſatis docent ea, quæ de ſingulis hiſtoriarum conditores memoriæ prodiderunt. & qvos habemus, qvi id genus orationis tractaverint, omniúmqve habentur antiqviſſimi: eos invenies cum Antiphonte jam ſene rem habuiſſe: Alcibiadem inqvam, Critiam, Lyſiam, Archinum. Primus etiam Oratoriæ artis præcepta edidit. Promtô fuit ingeniô, ideóqve Neſtor cognominatus.* At ſeqventia Cæciliana in Plutarcho: Καικίλιος δ' ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ συντάγματι, Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθη-

τὴν τεκμαίρεται γεγονέναι, ἐξ ὧν ἐπαινεῖται παρ' αὐτῷ ὁ Ἀντιφῶν. h. e. *Cæcilius in commentario, qvem de eo ſcripſit, fuiſſe conjicit diſcipulum Thucydidis hiſtorici, ex iis, qvæ hic in laudem Antiphontis prodidit*: Ger. Jo. Voſſius, c. XI. lib. de Rhetoricæ natura & conſtitutione, p. m. 73. edit. Hagenſ. M. DC LVIII. in 4to de poſteriore, non de Rhamnuſio, capit, qvippe qvi neutiqvam ſeqvens τὴν πολιτικὴν λέξιν, durior omnino atqve obſcurior fuit. In principio autem dicti capitis, & qvidem verſu qvartô, pro *Andocides* apud Voſſium legendus omnino *Antiphon*, qvo de agunt ſeqventia. Cujus facundiam cùm in VIII. p. m. 387. edit. Enenckelii Tübing. M. D XCVI. in 8r. laudet Thucydides, vix hujus Antiphon erit diſcipulus. Memorat ipſum Ammianus Marcellinus, lib. XXX. c. IV. Suidas in Ἀντιφῶν, Præceptorem ejus ignorari habet, diſcipulum fuiſſe Thucydidem, qvod & Marcellinus in Vitæ ejus Hiſtoria teſtatur. Vide de eo & Ciceronem in Bruto, c. XII. ubi pro *Huic*, qvod eſt in edit. Lugdun. M. DC XCII. in 4to. in meis *Hinc* eſt. Ger. Joh. Voſſium, loc. cit. c. IX. & XI. p. 62. 73. ſ. & lib. IV. de Hiſtoric. Græcis, c. VII. extr. p. m. 458. Nicol. Cauſſinum,

lib. I. de Eloqventia, c. XXIV. p. m. 21. edit. Lugdun. M.DC XLIII. in 4to. Joan. Jonſium Rensburgenſem Holſatum, lib. IV. de Scriptorib. Hiſtoriæ Philoſophic. p. m. 322. ſ. edit. Francof. M. DC LIX. in 4to. Ægid. Menagium in Obſervationib. in Diogen. Laert. lib. II. c. XLVI. p. m. 98. b. edit. Amſtelæd. M. DC XCII. in 4to.

XIV. APHTHONIUS Sophiſta, & ſcribendi argumentô, & ſtili elegantiâ, virore, deliciis, mirificè delectat: ſed totus eſt ad *paleſtræ nitorem* potiùs, qvàm ad civilem orationem factus, voluítqve, ut adparet, viam ſternere lectioni atqve intelligentiæ Hermogeniæ artis, imò ſcripſit, auctore Suidâ, in Hermogenis artem Progymnaſmata, ſúntqve præpoſita Progymnaſmata Aphthonii Hermogenis & ceterorum Progymnaſmatis, ut interpres vetuſtiſſimus Græcus mſſc. Aphthonii apud Ant. Auguſtinum Archiepiſcop. Tarraconenſ. tradit, qvia dilucidiora, & faciliùs percipi poſſunt. Nam cùm Hermogenes & ceteri ejus argumenti ſcriptores, ſine exemplis de illis præcepiſſent, viſi ſunt obſcuriores: Aphthonius autem, cùm præcepta dilucidè & emendatè tradidiſſet, eáqve exemplis illu-

ſtrâſſet, judicatus eſt iis, qvi hanc artem ingrediuntur, accommodatior. Dan. Heinſio, *Aphthonius* eſt *ſcriptor brevis, eruditus, & qvemadmodùm in iis, in qvibus olim primò apud Rhetorem exercebatur juventus, tradendis, ita in Exemplis, qvæ in ſingulis ſuppeditavit ipſe, ſtrictæ eloqventiæ, ac verè Atticæ, mirificè antiqvitati probatus.*

XV. Petrus APIANUS dictus Benewiz, Leiſnicæ natus in Miſnia, Jac. Aug. Thuano, part. I. Hiſtor. Tom. II. lib. XI. ad ann. M. D LII. p. m. 246. *Aſtronomicæ rei ſcientiâ noſtrô ævô clariſſimus* eſt, *qvam ſcriptis &* novorum inſtrumentorum *ſummô ingeniô & accuratâ fide fabricatorum inventione illuſtravit; atqve illo* Cæſareô Organô *in primis, qvod Carolo V. dicavit, eô nomine magnam laudem conſecutus, & dignitate à Cæſare ipſo auctus.* Ingolſtadii Matheſin profeſſus eſt.

XVI. APOLLONIUS Rhodius eidem Dan. Heinſio, in p. m. 183. Diſſertationis de Nonni Dionyſiacis, ſubjunctæ Petri Cunæi Animadverſionum libro in Nonni Dionyſiaca, edit. Lugd. Batav. CIϽ IϽC X. in 8t. *magis de viribus & ſtructura, ut Grammaticus, quàm de ipſa periodo & œconomia ſollicitus, diverſorum actiones ſed unius itineris,* ne-

neqve multum diverſi temporis, deſcripſit. Qvem profectò & ſubjectum, & inſcriptio, & exempla aliorum in eodem ſubjecto defendunt.

XVII. Monente Carolô Sigoniô apud Georg. Andr. im Hoff in Politico Græco, p. m. 88. edit. Noriberg. M. DC LVIII. in 12. APPIANUS Alexandrinus diligenter legendus eſt, qvòd pleraqve ex Hiſtoriis acceperit, qvæ periêrunt. Imò *unus eſt ex omnibus Hiſtoricis, qvi Romanorum Provincias, opes, exercitus, totiúſqve Imperii deſcriptionem ad intuendum velut in ſubjecta tabula, proponit*, ut obſervavit Johannes Bodinus apud Degoreum Whear. in de Ratione & Methodo legendi Hiſtorias Sect. XVIII. p. m. 98. edit. Oxon. M. DC XXXVII. in 12. nam in Bodino ipſo (cujus Methodi 2. c. 4. citat) nondum id reperire potui. Complexus eſt Appianus XXIV. libris Romanam Hiſtoriam, atqve ab Ænea orſus & Ilio capto, percurrit illa tempora, uſqve ad Romulum. Inde accuratiùs omnia *perſeqvitur* ad Auguſtum uſqve, qvædam etiam carptim atqve obiter addit uſqve ad Trajanum. E vaſto opere ſuperſunt hodie *Punica*, *Syriaca*, qvæ qviſqvis legerit, ridebit nugas, qvas de Alexandro Suidas habet, *Parthica*, *Mithridatica*,

ca, *Iberica*, *Annibalica*, *Illyrica*, *Bellorum Civilium libri qvinqve*; *Hiſtoriæ Celticæ & Illyricæ Fragmenta*, & *Excerpta qvædam de Legationibus*. Utor non ſatis bonâ editione Amſtelodamenſi, ann. M. DC LXX. in 8r. Vide & Photii Bibliothecam, Cod LVII. col. m. 47. ſ. editam Rothomagi M. DC LIII. in fol.

XVIII. APPULEJUS, cenſente Nicolaô Cauſſinô, III. de Eloqventia, c. XIV. p. m. 173. a. *elegantì procul dubio & facetô fuit ingeniô, ſed eô, & Muſis, non modò ſtili inſolentis, verùm etiam argumenti novitate abuſus eſt, autor procul dubio cautæ lectionis, & periculoſæ imitationis, maximè qvòd abundat dulcibus vitiis.*

XIX. Sub Antonino Pio, & M. Aurelio fuit Ælius ARISTIDES, qvi notante Ger. Jo. Voſſiô, c. XII. lib. de Rhetorices natura, p. m. 87. princip. Smyrnæ Polemonem; Athenis, Herodem; Pergami Ariſtoclem audivit; *vir in dicendis, qvæ præmeditatus foret, planè admirandus; ſed ad ſubitam dictionem minùs idoneus.* qvod ipſe, ut excuſaret, ajebat, non eſſe ſe ex eorum numero, qvi vomerent, ſed qvi cum cura dicerent. Photius, Cod. CCXLVI. princ. col. m. 1211. hujus Orationi Panathenaicæ

δει-

δεινότητα καὶ κάλλος tribuit, i. e. *poteſtatem & ornatum.*

XX. In uno nunc fermè habemus ARISTOPHANE mordax & acetô Atticô condítum ſcribendi genus. *Solet enim*, auctore Petrô Cunæô, p. m. 12. Animadverſion. in Nonni Dionyſiaca, edit. Lugd. Batav. M. DC X. in 8t. *qvoties Æſchylum, Euripidem, aut alios publicè vult κωμῳδεῖν, dictum aliqvod eorum arripere, & riſus cauſſâ illud aliter, qvàm ipſi, uſurpare. qvare poterat iſto ſale Homerum defricuiſſe, qvem in Nebulis qvoqve pupugit.* Explicare placet hæc verbis Nicodemi Friſchlini, legendis in præfatione ad Rudolphum Cæſarem Ariſtophani Francof. CIƆ IƆ XCVII. edito in 8t. præmiſſa, p. m. 5. & qvidem eô libentiùs, qvô rarior iſta editio & dedicatio, neglecta in optima aliàs editione Ariſtophanis Genevenſi M. DC VII. in fol. *Is auctor eſt Ariſtophanes, qvi magna cum libertate homines ſeditioſos ac turbulentos in ſcenam producit, eóſqve nominatim perſtringit: qvi principum in Republica virorum diſſenſiones acerbè inſectatur: qvi temeritatem imperitæ multitudinis, & licentiam plebis ſeveriter caſtigat: qvi deniqve nulli ordini, nulli ætati, nulli generi, niſi ſolis innocentibus atqve immeritis ſuâ liber-*

tate

tate parcit. Itaqve temporibus illis, qvibus Græcia flagravit eô inteſtini belli incendiô, qvod à Thucydide deſcribitur, totos annos viginti ſeptem, ipſe Cleonem, Braſidam, Lamachum, & ſimiles Reipub. peſtes, nullâ ſpe commodi, ſolo libertatis amore, ac pacis ſtudiô, in ſcenam productos, coram populo Athenienſi diriſſimis, & qvibus digni erant modis, acerrimè exagitavit. Neqve hoc ſine magna fecit ſpectantium admiratione. Cùm enim cæteri Poëtæ ſuis ſcriptionibus nihil fere carperent, ſed peſſimo cuiqve aſſentarentur: unus prodiit Ariſtophanes, qvi contra principes Græciæ, à qvibus eà diſcordia excitari videbatur, conſcripſit ſuas Comœdias, eáſqve populo exhibuit. Itaqve huic uni in theatro applaudebatur; hujus unius nomen, oratio, vultus, inceſſus ab Athenienſibus amabatur. Darius qvoqve Perſarum Rex, cognitâ è ſuis Legatis Poëtæ hujus libertate, qvâ in depravatis hominum moribus reprehendendis utebatur, & laudâſſe viri ſtudium dicitur, & magnô ipſum auri pondere donâſſe.

XXI. ARISTOTELEM *nihil ſolere operoſe moliri, modum, qvô id fieri poſſit, facillimum, & ab ipſa natura petitum oſtendere,* cenſet doctiſſ. Cunæus in cit. Animadverſ. p. 78.

XXII. Arnoldus ARLENIUS tantam in

in Græcis adhibuit, qvantam Gabriel Faernus in Latinis Scriptoribus caſtigandis ſolertiam. Huic vel *editione Joſephi* Græca multum poſteritas ſemper debitura eſt, qvam ille ex optimo exemplari publico dedit, adjectis etiam libris contra Apionem, qvi nuſqvàm alibi reperiuntur; ut habes in Doctorum virorum Elogiis Thuaneis Londini editis annô M. DC LXXI. in 8t.

XXIII. ARNOBIUS, ſi Hieronymum audimus, Tom. I. Operum, Epiſt. XIII. ad Paulinum, p. m. 68. C. edit. Francof. M. DC LXXXIV. in fol. *inæqvalis & nimius, & abſqve operis ſui partitione confuſus* eſt. *Grandem ſenſibus, ſed dictione rudem* Arnobium Nicol. Cauſſinus habet, lib. II. c. II. p. m. 80. a. & lib. X. c. IV. p. 585. a. de Eloqventia. Sed non alienum videtur, adponere qvoqve verba Caſp. Barthii e lib. XLIX. Adverſarior. c. XI. col. m. 2303. *Unum mihi inter veteres Chriſtiani nominis defenſores Arnobium lege, ſcriptorem qvoad verba & phraſin prorſus inuſitatæ & reconditæ doctrinæ, & ex qvo infinita diſcas, vix ullibi, præter ipſum, exſtantia. Malè utatur oculis ſuis, qvi Petroniô & iſto collatis videre non poſſit, numqvàm tam nudè locutum eſſe Arbitrum, vitiorum exempla devitanda proponentem, qvàm*

Afer

Afer ille faciat ob oculos ferens apertam eorumdem confutationem. Liber ſanè Arnobii qvintus de Libidinum variis generibus & ſecretis hiſtoriis ſine circuitu & præfatione, ſatis copioſè, & detractâ omni veſte, loqvitur; ut matris Deûm obſcæniſſimi famuli, & ſcenici Agyrtæ libidines non egerint planiùs atqve apertiùs exſecuti ſint, qvàm iſte, earum hoſtis, eaſdem deſcribat. Apud Auguſtinum & Arnobium, ſi Andr. Hyperium, lib. II. Methodi Theologiæ p. m. 493. edit. Baſil. M. D LXVII. in 8t. ſeqvimur, *leguntur interdum vocabula barbara & trivialia ad captum videlicet rudis populi, & ex qvotidiano plebis ſermone: ſed videre debebant, ut de rebus divinis loqventes, potiùs Spiritum ſanctum qvàm populum ſeqverentur. In Tertulliano,* inqvit idem, lib. IV. de Theologo, c. IX. Obſ. VIII. p. 715. *Cypriano, Auguſtino,* Arnobio *ſtatuunt, qvod ad ſtylum & dictionis figuram attinet, neſcio qvid duriuſculum & Punicum: in Hilario, Severo Sulpicio, Proſpero, qviddam floridum* & *amœnum, ſpirans Gallicum ingenium: atqve ita deinceps de aliarum Gentium ſcriptoribus eruditi pronunciant. Neqve eſt cujuſvis, de hac re judicium facere. Hæc autem diverſitas tota a locis, ſeu regionibus ipſis emanat.*

XXIV. ARRIANUS Photio in Biblioth.

blioth. Cod. LVIII. extr. col. m. 53. ἰσχνὸς τὴν φράσιν ἐςὶ, ἢ μιμητὴς ὡς ἀληθῶς Ξενοφῶντ☉, i. e. *exilis dicendi characteris eſt, & reverà Xenophontis imitator*; parùmqve ad opulentiam ſtili conferre poteſt. *Si Q. Curtiô auctore, Alexandri Magni expeditionem interpretari libeat, præter membranas*, ARIANUM *Græcum ſcriptorem compares ſvadeo, tabulámqve Ortelianam*, ſcribit Andr. Schottus, lib. IV. Tullianar. QQ. c. VII. p. m. 304. extr. edit. Antverp. M. DC X. in 8t. Floruit Antoninorum temporibus, Conſulatu etiam functus.

XXV. A Gregorio Nazianzeno; Orat. XXI. p. m. 376. C. edit. Pariſ. M. DC IX. in fol. ATHANASIUS celebratur, πᾶσαν παλαιὰν βίβλον, πᾶσαν ἢ νέαν ἐκμελετήσας, ὡς ἐδεμίαν ἕτερ☉: i. e. *& veteris, & novi Teſtamenti libros omnes ita permeditatus, ut neunum qviſqvam alius*. Ceterùm inter Græcos, qvod rectè notat Cauſſinus, lib. XVI. de Eloqventia, c. II. princ. p. 967. b. Athanaſius maximè gravis eſt: cujus ut vita fulgur, ſic oratio fulmen exſtitit: *minus itaqve floris habet, qvàm ceteri, minus olet ſcholæ delicias, qvàm D. Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Chryſoſtomus; habet tamen orationem grandem & ſuo animo parem*; & ubiqve ad-

mirandam in verbis concinnitatem obſervat. Semper ſtilum ſuum materiæ, qvam tractat, & illis, qvos adloqvitur, adcommodat. Se ſolerter eô, qvô res dicit, modô in animum inſinuat. *Ejus rationes*, judice Ellies Dupin, Tomô II. Bibliothecæ Auctorum Eccleſiaſticor. p. m. 91. edit. Colon. (l. Amſtelodam.) M. DC XCII. in 4to, *ſtatim probantur; & animus ſæpiſſimè ſe perſuaſum eſſe deprehendit, qvamvis non advertat, illum perſuadere velle. Qvantumvis lenis videatur, vehementiâ non caret: qvando inimicos ſuos oppugnat, iis non parcit: contra, verbis utitur omnium aſperrimis & validiſſimis, quæ ſibi ſuppetunt, ut iis pudorem incutiat. Eos ut inviſos reddat, non dubitat omnibus onerare* conviciis, *qvibus digni ſunt, & eorum crimina, qvantum poteſt, ad vivum depingere. Id tamen potiùs oriri videtur ex zelo pro veritatibus Religionis, qvàm ex odio, qvô ipſos proſeqvitur.* Eraſmo Rotterodamo, lib. II. Eccleſiaſtæ, p. m. 218. Athanaſius *in docendo mirus eſt, nec* dubitat, *qvin ſui ſimilis fuerit in concionando*. Singularem ejus prudentiam laudat Nicolaus Vedelius, lib. I. c. II. de Prudentia veteris Eccleſiæ, p. m. 66. his verbis: Athanaſius *prudentiâ ſuâ omnes homines ita in admirationem ſui traduxit, ut hoſtes*

qvi-

qvidem veritatis divinæ, Gentiles ſcilicet & Ariani, eum Magicarum præſtigiarum malitioſe & diabolicè inſimularent: Orthodoxi autem multi eum prophetiæ donô praditum, & ſupernaturali divinóqve inſtinctu & monitu, qvæ agebat, perficere putarent. Nam qvia prudentiâ ſuâ, ut mox intelligemus, ſæpiſſime graviſſima pericula effugerat, διεβάλλετο παρὰ (f. παρὰ) τῶν ἑλλήνων καὶ τῶν ἑτεροδόξων ὡς γοητείαις ταῦτα κατορθῶν, calumnioſè inſimulabatur à Gentilibus & Arianis ac ſi præſtigiis ea conficeret, *ait Sozomenus, lib. IV. 9. (m. c. X.) Ea opinio confirmata fuit apud hoſtes ex eo, qvòd, cùm aliqvando per plateas civitatis ambularet, fortè corvus verſus eum volitans crocitaret. Ibi Gentiles caſu aſtantes, ſcommatis ipſum ut præſtigiatorem petere, ac rogare, ecquidnam corvus dixiſſet? Ille leniter ſubridens ait, eum* Cras *Latinô ſermone dixiſſe. Nam denuntiat vobis, craſtinum diem peracerbum vobis fore. Etenim cras mandatum Imperatoris accipietis, qvô vobis edicetur, ne veſtrum diem feſtum proximè inſeqventem celebrare poſſitis. Dictum factum. Etenim ſeqventi die litteræ Imperatoris Magiſtratibus allatæ fuerunt, qvibus jubebantur, ne Gentilibus permitterent ampliùs idololatriæ ſuæ exercitium. Inde Gentiles & Ariani novam ſumſêre anſam confirmandi calumniam & ma-*

maledicentiam ſuam adverſus ſanctum virum. At apud Orthodoxos id magis confirmavit opinionem doni Prophetiæ, qvô eum præditum credebant: prout ex Sozomeno patet : ὡς μὲν οὖν, *inqvit,* προφητικὸς ὁ ἀνὴρ ἐτύγχανε, ταῦτα ἀπόχρη (in meo eſt ἀπόχρη τάδε) εἰπεῖν, qvòd igitur donô prophetiæ præditus vir ille fuerit, hæc dixiſſe ſufficiat. *Qvod ſolidè à Sozomeno judicari fortaſſis non judicabunt illi, qvi nôrunt Epiſcopum ſummæ auctoritatis apud Magiſtratum Othodoxum Alexandrinum fuiſſe, & hunc Magiſtratum ab Imperatore Chriſtiano facile conſeqvi potuiſſe, ut Gentilibus inhiberetur idololatria eorum, adeóqve Athanaſium præſcire id potuiſſe ſuâ, qvam à Deo acceperat, prudentiâ ſine prophetia. Ob hanc prudentiam in pretio habitus à Joviniano Imperatore Orthodoxo fuit, cui cùm ſemel tantùm ſanctus ille vir verba feciſſet, congreſſus ille Athanaſium chariſſimum reddiderat; ita ut non ſolum pietate & doctrinâ ejus, ſed & prudentiâ confiſus jubeat, ut Ægypti Eccleſias & plebes gubernaret* ᾗ ἄριστα αὐτῷ δοκείη, qvô ſibi luberet modô. *Ac poſteà laudavit eum plurimùm ad alios* ἀρετῆς βίου τε ἕνεκα καὶ φρονήσεως καὶ λόγων, ob virtutem, pietatem, prudentiam & eruditionem. *Qvod magis eſt, ante Jovinianum Conſtantius ipſe, qvi tamen acerrimus & juratus*

tus erat hoſtis Athanaſii, ob prudentiam ipſum admiratus eſt. Cùm enim aliqvando Athanaſius Arianorum aſtutiam, qvi ſibi ſaltem unum concedi templum Alexandriæ ab Athanaſio per ipſum Imperatorem poſtulâſſent, cum qvo tunc ſanctus ille vir colloqvebatur, prudentiſſimô conſiliô & reſponsô irritam feciſſet, Imperator admiratus ejus prudentiam, *ait Ruffinus*, properare ocius ad ſuſcipiendam Eccleſiam (*ex qva ejectus erat*) jubet.

XXVI. ATHENÆUS Græcorum ferè doctiſſimus ſcriptor, Caſaubono verè πολυμαθέστατος verè undecumqve doctiſſimus, Græcorum Varro, aut Plinius. M. Antonini, ut putat David Chytræus in p. m. 50. Chronologiæ Hiſtoriæ Herodoti & Thucydidis, temporibus florens, *præter admirabilem multarum ſcitu digniſſimarum rerum & vocabulorum varietatem, plurimas etiam hiſtorias, ex omnium Gentium ſcriptoribus, qvi temporum injuriâ amiſſi ſunt: ac verè Bibliothecam omnium veterum Hiſtoricorum, Poëtarum, Philoſophorum complexus eſt.*

XXVII. ATHENAGORAS Cauſſino, lib. XV. de Eloqventia, p. m. 937. b. extr. *in eo videtur maximè eloqvens, qvòd minimè profiteatur eloqventiam, licèt adamantinam qvamdam orationem habeat, non ſine lepôre &*

feſtivitate qvadam ingenuæ dulcedinis. Phraſis & dictio prorſus eſt Attica; utitur verbis ſelectis ac puris, conſtructionibus exqviſitis, interdum tamen, qvod Henr. Stephani monet, *propter hyperbata paullò intricatior eſt ſenſus.* Lego Patris illius opera, ut Lipſiæ curavit ea variis cum notis Cl. Adamus Rechenberg M. DC LXXXV. in 8t.

XXVIII. AUGUSTINUS, ut Andr. Hyperius, IV. de Ratione Studii Theologici, c. IX. Obſerv. XIV. p. m. 737. exiſtimat, *ubi Prophetarum vel Apoſtolorum abſtruſa ſenſa ſtudet eruere, in reddenda purè eorum ſententia, cedit nemini*; addens in fine paginæ ſeqventis, qvæ probè obſervanda: *Qvod ad tractationem locorum communium attinet, ſive plures ſimul, ſive aliqvos ſeparatim diſcuſſos, & ſive ſimpliciter traditam aſſeveratámqve veritatem, ſive pro eadem diſputationes contra adverſarios ſuſceptas ſpectemus: D Auguſtinus eam ſibi methodum præſtituit & perſeqvitur, qvam nemo alius: & haud ſcio an æqvari ei qviſqvam mereatur. Eqvidem confirmare non vereor, in diſputationibus Auguſtinum ſine controverſia unum eſſe, cujus civilitatem, modeſtiam, candorem in oratione, acumen in argumentationibus gravitatem & pondus in rebus*

bus omnibus, omnes optimò jure ſibi proponant imitandum. B. D. Caſpar Finckius, Cent. I. Canon. X. p. m. 20. Auguſtinum *auguſtiſſimum, & in doctrina de Libero Arbitrio ſinceriſſimum, omnium aliorum reſpectu, Patrem* vocat. Qvamqvàm autem ille ipſe Hipponenſis Epiſcopus, ſi Davidis Chytræi judiciô ſtandum in de Studio Theologiæ rectè inchoando f. m. 16. a. edit. Witeberg. M. D LXVI. in 8t. *non omnino ſententiæ Pauli de gratuita imputatione juſtitiæ Chriſti ſatisfacit: (hæret enim in hac perſvaſione, hominem, etſi propriis viribus ſeu operibus ſine Spiritu ſancto factis, non poſſit coram Deo juſtificari: tamen gratìs donatô Spiritu ſanctô, poſſe deinceps legem Dei implere, & propter hanc legis impletionem, qvam Spiritus ſanctus in renatis efficit, juſtum coram Deo reputari) tamen propiùs ad genuinam Pauli ſententiam accedit, quàm omnes, qvi vel ante, vel poſt eum, uſqve ad Lutheri tempora ſcripſerunt. Legant igitur ſtudioſi præcipuè librum de Spiritu & littera. Item ſex libros contra Julianum, & quatuor libros adverſus duas Pelagianorum Epiſtolas, & tres libros de peccatorum meritis & remiſſione &c. ac ea, qvæ explicationi Auguſtinianæ deſunt, ex Pauli Epiſtolis, & Lutheri enarrationibus, & propria experientia in certamini-*

bus conſcientiæ ſuppleant: & ſimul Deo gratias agant, qvòd adeò claram Euangelii lucem hâc noſtrâ ætate rurſus accendit: & orent Deum ardentibus votis, ut eam in mentibus noſtris obſignet. Adſcribam & ejus antecedentia ſtatim verba, cùm nonnihil nos in lectione Patrum doceant: *Ad eruditionem ſpiritualem & ſapientiam illam Eccleſiæ peculiarem & mundo ignotam, de gratia Chriſti & juſtitia fidei rectè intelligendam, longè plus conducet, unicus Lutheri in Epiſtolam ad Galatas commentarius, qvàm omnia Jeronymi, Baſilii, Cyrilli, Origenis, Nazianzeni, Epiphanii, Hilarii & plerorumqve Patrum opera in unum collata. Pleriqve enim Patres in articulo de tribus perſonis & duabus in Chriſto naturis illuſtrando, omnem vim ingenii & eloqventiæ conſumunt. Propriam verò Euangelii de gratia Dei, & Juſtitia fidei doctrinam, qvæ præcipuum & proprium Eccleſiæ patrimonium eſt, leviſſimè attingunt, aut politicis opinionibus de juſtitia obſcurant & depravant. Unus Auguſtinus & Ambroſius (ſi modò is auctor eſt librorum de vocatione gentium) penè ſepultam de peccato originis, de gratia Chriſti, & juſtitia fidei, doctrinam, pluribus ſcriptis renovavit.* Nicolao Cauſſino, III. de Eloqventia, c. XIV. p. 174. a. Auguſtinus *ad pugnam aptior, qvàm*

qvàm ad pompam, vehemens, acer, ſubtilis, non puerilis & verboſæ facundiæ, ſed cæleſtis eloqventiæ torrens, domum DEI facundis doctrinæ rivis exhilarans, adverſariorum propugnacula proterit atqve demolitur. Lib. IV. c. LI. p. 247. a. idem Cauſſinus Aurelium noſtrum *ſubtilem in inveniendo, in diſponendo prudentem, in elocutione minùs ſæpe Latinum,* eſſe cenſet. Illi ipſi Jeſuitæ, lib. XV. p. 959. a. *in genere adhortatorio ſæpe admirabilis eſt* D. Auguſtinus; *nam & monendo rationum robore convincit, & conſolando plenus eſt ſvavitatis, & reprehendendo gravem qvamdam ſanctimoniam præfert, qvæ non inſultat, ſed* viſceribus miſericordiæ *compatitur. Et hoc genus efficaciſſimum eſt.* M. Aureliô Caſſiodorô judice; Auguſtinus *litterarum omnium egregius magiſter; & qvod in verborum ubertate rarum eſt, cautiſſimus diſputator.* Eraſmus, II. Eccleſiaſtæ, p. m. 219. Auguſtinum in genere extemporali felicem habet & argutum.

XXIX. Joannes AURATUS, ut in doctorum virorum Elogiis Thuaneis eſt, p. m. 91. *primùm pueris regiis* Gall. *erudiendis admotus, dein & ob ingenii præſtantiam & exactam lingvæ utriuſqve cognitionem,* in Regio Gymnaſio *diu profeſſor, poſtremò emeritus vi-*

tam regiô honorariô *ad extremam ſenectutem toleravit.* Poëticâ *facultate inprimis excelluit; in qva, ut alii ipſo docente multum proficerent, ſedulâ felicitate effecit. Extant ejus* Carmina *non ab ipſo auctore (etſi id titulus præ ſe fert) ſed à librariis præpoſterâ diligentiâ, cum alieni nominis diſpendio lucrum captantibus, edita: qvibus partim aliena, partim qvædam etiam ipſius (qvæ tamen ille pro ſuis nunqvàm agnoviſſet) inſerta ſunt. Qvæ omnia recenſeri non ſolùm tanti viri famæ, ſed etiam litterariæ rei intereſt.*

XXX. Daniel BARBARUS, ſcribit Thuanus, part. & Tom. III. lib. XLVI. ad ann. M. D LXIX. p.m. 324. ſ. *Venetæ nobilitatis præclarum lumen, ex eadem familia, qvæ Hermolaum veræ philoſophiæ & litterarum meliorum in Italia inſtauratorem olim dedit, prognatus, philoſophiæ & mathematicarum artium exqviſitâ ſcientiâ præſtans, atqve adeò eâdem, qvâ ille, dignitate ornatus, hoc eſt, patriarcha Aqvileienſis deſignatus. multa is ſcripſit, ac præcipuè Pollionis Vitruvii de architectura libros doctiſsimis poſt Gulielmum Philandrum commentariis illuſtravit. dicere ſolebat, niſi Chriſtianus eſſet, ſe in Ariſtotelis verba juraturum fuiſſe; adeò in rerum veritate perveſtiganda, eâqve in ſingulis naturæ partibus rectô ra-*

rationis ductu, qvantum, & ſupra qvàm humanus captus fert, perſeqvenda feliciſſimum illius ingenium admirabatur. poſtea ſe totum theologicis ſtudiis, ut epiſcopali functioni magis convenientibus, addixit, & multa ex Patribus Græcis Latina fecit, qvorum pars edita, pars apud heredes manet, plura in eo genere præſtiturus, niſi feſtinata mors eum, ut & Hermolaum, diutius publico invidiſſet; haud enim multum qvadragenariô major Eid. Aprilibus hôc annô (M. D LXIX.) ad Deum migravit, vilibus exſeqviis, ſic enim homo ab omni vanitate & ambitione alienus extremis tabulis mandaverat, funeratus, & ad S. Franciſci in vinea ſine elogio ſepultus.

XXXI. Joan. BARROSIUM, Indicâ Hiſtoriâ, ſummâ fide conſcriptâ, bene de ſuis ac omnibus, qvi harum Provinciarum, famâ tantùm olim notarum, cognitione delectantur, meritum eſſe, teſtatur Thuanus ad ann. M. D LXXVII. in Doctorum Viror. Elogiis Thuaneis p. 67.

XXXII. Caſpar BARTHIUS de ſe ipſo lib. XI. Adverſarior. c. XXI. extr. col. m. 550. ſcribit: *Poteſt, ut nos oculi fallant, qvi morbô qvôdam nimium ſumus ſuſpicaces, & nihil non in auctores eô nomine nobis permittimus.* Enimverò infinitæ virum fuiſſe lectionis Barthium, nemo negare poteſt: ſed qvòd

qvòd & idem emendandis in Scriptoribus audacior paullo fuerit, & in materiis Medicis ſæpius erraverit, manifeſtum eſt, oſtendítqve Thomas Reineſius in Variis Lectionibus paſſim, atqve in ad Hofmannum & Rupertum Epiſtolis.

XXXIII. Nullus eſt inter omnes Patres Græcos & Latinos, qvorum exſtant ſcripta, BASILIO, Epiſcopô Cæſareæ in Cappadocia, eloqventior, *ex cujus ſanctiſſimo pectore*, ut Chytræus perhibet in de Studio Theologiæ, f. 19. b. *& omnium diſciplinarum cognitione inſtructo, emanat naturali qvodam, & ſvavi, & inaffectatô fluxu, oratio, omnibus ferè numeris abſoluta, ſana, ſimplex, dilucida, gravis & tamen ſvavis, & ſingulari figurarum & ornamentorum delectu expolita, ut omnibus eruditis admiranda, & ſimul tamen imperitioribus perſpicua ſit, nec unqvam ſatietatem adferat legenti. Qvare hunc ſcriptorem præ ceteris, amantes piæ doctrinæ & veræ eloqventiæ diligenter cognoſcent.* Ejus dicendi vim admiratus ſummus, qvi tunc inter Ethnicos ferebatur, eloqventiæ magiſter Libanius, eam non immeritò anteponit omnibus, Βασίλειον ἔχων πάντων ὑπερφρονῶ. *Erat illi*, ſubjicit Cauſſinus, III. de Eloqventia, c. XIV. p. 173. b. *unus pro centum millibus*,

libus, *in Eloqventia*, *Baſilius*: *& hac vir a Baſilio*, *religione disjunctus*, *& Chriſtianis palmis infenſus*. Eraſmo Rotterodamo, II. Eccleſiaſtæ, p. 218. *inter Eccleſiaſticos nemo videtur* Baſiliô *felicior*. *Dilucidus eſt*, *pius*, *ſanus*, *ſuaviter gravis*, *& graviter ſuavis*, *nihil habens adfectatæ loqvacitatis*. Ejus de Epiſtolis adfero judicium Andr. Hyperii e lib. III. de Theologo, c. VIII. p. m. 547. *Qvàm faciles*, *qvàm amœnæ*, *qvantâ humanitate*, *urbanitate*, *qvàm feſtivâ varietate refertæ ſunt præ ceteris epiſtolæ*, *eloqventiſſimi*, *graviſſimi & ſanctiſſimi ſcriptoris Baſilii?* Qvod ad objurgatorium genus facit, adducit in exemplum Baſilii Virginem ad lapſam Epiſtolam ſæpiùs nobis memoratus Cauſſinus, lib. VIII. de Eloqventia, c. XXXIV. p. 528. dicítqve & *gravem*, *& honeſtum*, *& ſuavem* eſſe Baſilium.

XXXIV. Martinum BECANUM in Theologia ſcholaſtica unum omnibus epitomis & introductionibus præferendum ab iis putat Gisb. Voetius, lib. II. Bibliothecæ, c. VI. p. m. 595. extr. qvi ſolida, perſpicua & mediocriter compendioſa qværunt. Sanè Manuale Controverſiarum Jeſuitæ hujus, editum Monaſterii Weſtphaliæ M. DC XXIX. in 8r. judiciô in his admirabili

bili b. Joh. Hülſemanni in Methodo Studii Theologici, ſubjuncta Methodo concionandi ejus, p. m. 300. extr. edit. Lipſ. M. DC LXXVII. in 8t. *planè nullam fidem meretur, ac ſi ſtatum controverſiæ fideliter expoſuerit, perpetuis ubiqve ſcatet æqvivocationibus, & negatione etiam eorum, qvæ aliàs vulgò in Papatu docentur.* Mirum, hunc Jeſuitam pacificam perſonam non tuliſſe & de Componendis in Religionib. diſſidiis cogitâſſe; cùm illos ad Theologos fabricas facilè finxiſſet, qvi qvæſtui rem hanc habent. Georg. Calixtus, §. LXIII. Exercitation. de Auctoritate ſacræ Scripturæ, Becanum *acutô virum ingeniô, & ſatis etiam verſutô* vocat.

XXXV. BEDA venerabilis Presbyter, neç elegante omnino, nec adfectatæ elegantiæ curioſô ſed temperatô ſtilô ſcribit, qvi nec verborum multitudine faſtidium, neqve paucitate obſcuritatem pariat, ſed brevi facilitate currat gratiſſimè. Vide Sixt. Senenſ. IV. Biblioth. p. m. 214. a.

XXXVI. Petri BEMBI, Patricii Veneti, verſu & pedeſtri oratione politiſſimi ſcriptoris *multa licentioſiùs, ut temporum neqvitia & domini, cui ſerviebat, mores ferebant, ſcripta extant*, judice Jac. Aug. Thuanô, Tom. I. Hiſtoriar. lib. III. p. m. 267. edit. Lutet. M. DC IX. in 12.

XXXVII.

XXXVII. S. BERNARDUS, auctore Matthæô Dreſſerô de Feſtis, p. m. 186. edit. Witteberg. 1594. in 8t. *ex nulla re majorem voluptatem cepit, qvàm ex Bibliorum lectione, pia meditatione atqve precatione. His mediis optimis & à Deo ipſo ordinatis tantum profecit, ut in mediis tenebris pontificiæ Eccleſiæ plus lucis ſpiritualis adeptus ſit, qvàm omnes id temporis epiſcopi atqve Eccleſiaſtici. Cognovit enim & uſu expertus eſt in tentationibus, nos non niſi per Dei indulgentiam, ſive miſericordiam, conſeqvi poſſe remiſſionem peccatorum, eámqve fide accipi oportere. Et valdè memorabile eſt ejus dictum: Lavamur in baptiſmo, & ſanamur in tota vita per verbum & Sacramenta. Item:* (Serm. I. in Purific. Mariæ) *Miſericordia Dei in communi poſita eſt, & offertur omnibus, & nemo illius expers eſt, niſi qvi renuit. Unde ſatis perſpicitur, non procul eum abfuiſſe ab ea luce, qvam Chriſti conciones & Apoſtolorum ſcripta præbent.* Qvæ Dreſſeri verba laudat ex parte, ſicuti & Bernardi, Ger. Joan. Voſſius, VII. Hiſtoriæ Pelag. part. I. theſi II. p. m. 673. edit. Amſtelod. CIƆ IƆC LV. in 4to. B. noſter D. Martinus Chemnitius, part. II. Locorum Theologic. p. m. 183. a. edit. Francof. M. DC LIII. in fol. Bernhardum *aliqvid habuiſſe*

buiſſe lucis in articulo Juſtificationis exiſtimat. David Chytræus in Onomaſtico Theol. f. m. 78. b. edito Witeb. 1598. in 8t. *Scripta* Bernhardi, inqvit, *ex variis & continuis ferè ſacræ ſcripturæ ſententiis, velut teſſellis aptè inter ſe junctis contexta & ſtipata, & perpetuô qvodam lepore & feſtivitate condita ſunt. Imprimis verò ardenti ſpiritu, doctrinam de Filio Dei Homine pro nobis facto, & Gratia Chriſti, ac Juſtitia Fidei, ad uſum veræ pietatis & conſolationis ac fiduciæ & lætitiæ in pectoribus accendendæ accommodatam, illuſtriùs ferè & efficaciùs, qvàm ulli alii patres, illuſtravit: Sermone I. & III. de Annuntiatione. Serm. II. III. V. in Vigilia Natalis & paßim alibi: Sermone LXI. In Cantico: Sufficit mihi ad omnem Juſtitiam, ſolum habere propicium, cui ſoli peccavi. Non peccare, DEI Juſtitia eſt. Hominis juſtitia, indulgentia Dei. Serm. LXVIII. ubi tuta firmáqve infirmis ſecuritas & reqvies niſi in vulneribus ſalvatoris. Meum meritum miſeratio Domini. Non ſum meriti inops qvamdiu ille miſerationum non fuerit. Lib. I. vitæ Bern. c. XIII. Fateor non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritis, regnum obtinere cælorum. Cæterùm duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate ſcilicet patris & meritô paſſionis: altero ipſe contentus, alterum mihi donat,*

nat,

nat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor, &c. Qvæ Theologus iſte e Serm. LXI. citat, in mea Pariſina M. D XXVII. in fol. reperire non potui: qvæ autem e Serm. LXVIII. exſtant Serm. LXI. qvomodò etiam adducit b. D. noſter Gerhardus, Tomô III. Locô XIX. §. 212. p. m. 442. a. edit. Francof. M. DC LVII. in fol. & in Confeſſion. Cathol. lib. II. part. III. artic. XXIII. c. IV. p. m. 1485. b. ſ. edit. Francof. M. DC LXXIX. in fol. Bernardus *concionabundus eſt* Eraſmo Rotterodamo, II. Eccleſiaſtæ, p. m. 220. *naturâ magìs qvàm arte, feſtivus & jucundus, nec ſegnis in movendis affectibus: ſed apparet, pleraſqve illius conciones, apud cœtum Monachorum habitas, in qvorum uſum fere ſcripſit, qvæcumqve ſcripſit.* Cauſſinus, lib. XV. de Eloqventia, adducto Bernardi Currui Avaritiæ, qvô qvatuor Avaritia rotis vehitur vitiorum, qvæ ſunt puſillanimitas, inhumanitas, contemtus DEI, mortis oblivio; Jumenta trahentia, tenacitas, rapacitas, qvibus unus auriga ambobus præſidet, ardor habendi; adducto huic, inqvam, currui p. m. 961. b. ſubdit: *Hæc amplam dicendi materiam ſuggerunt, ſed, ut liberè fatear, hic modus, niſi ſummâ prudentiâ & dexteritate tractetur, oſten-*

dit qvippiam juvenile & leviculum, qvod momentô temporis deflorescit. Idcirco haud eorum probârim inſtitutum, qvi nunqvàm acqvieſcunt, niſi per ſymbola & imagines concionati fuerint. Qvod ſibi dictum putent multi noſtri verbi miniſtri, Euangelia & Epiſtolas Dominicales nonniſi artificiali methodô tractantes, qvâ textus explicatio & litteralis ſenſus negligitur & auditor parum juvatur. Ante tempora D. Pauli Röberi, húncqve ut ſocerum ſuum ſeqvuti D. Jac. Welleri tempora, longiùs iſta concionandi qvæſita methodus, ſubtilitate ſe commendans inventionis, tam, uti nunc, freqvens non erat in Saxonia.

XXXVIII. Theodorus BEZA laudatur in Elogiis Thuanæis, p. m. 129. qvòd *totos Pſalmos Hebraicè*, & *qvodcumqve caput e b. Paulli Epiſtolis propoſuiſſes, integrum Græcè recitârit.* Addo tamen & iſta de eo relata Caſaubono, Epiſt. CCXCVII. ad Joſeph. Scaligerum, p. m. 342. edit. Brunſvig. M. DC LVI. in 4to: *Multa* Genevæ *cum Beza, cum Pinaldo, cum Goulardo de te ſermo: qvi non ſemel ſublatis in cœlum manibus Deo Opt. Max. gratias egimus, qvòd hôc potiſſimum ſeculô contra veritatem obſtinatiſſimô, te volueris naſci, bonis in exemplum, aliis* εἰς

ἐλεγ-

ἔλεγχον. *Qvod vehementer ſum admiratus non tacebo. Venerandus ſenex, Theodorus Beza, cùm per longinqvitatem ætatis factus ſit oblivioſus adeò, ut poſt freqventes de novo rege Angliæ ſermones ſubinde me rogaret de Regina, an verum eſſet, qvod fama jactaret, illam fatis conceſſiſſe: idem tamen in litteris viſus nobis is eſſe, qvem ante annos XX. noveramus. Loqvitur Latinè, interdum & græcè, ut anteà: audivimus de hiſtoria veteri differentem e re nata luculentiſſimè: ut videretur recens a lectione Plutarchi & id genus auctorum. Jam textus Biblicos, maximè autem Novi Fæderis, in numerato habet. longum ſit omnia perſeqvi, qvæ ſumus in optimo ſene mirati.*

XXXIX. Eberardus BILICHIUS Tridenti, qvò, ut Concilio intereſſet, venerat, Id. Januar. M.D LII. deceſſit, *ob ingenii in enodandis ſacræ doctrinæ perplexis quæſtionibus ſubtilitatem magni nominis Theologus*, Jac. Aug. Thuano, part. I. Tom. II. Hiſtor. p. m. 244.

XL. Joan. BODINUS *in Andibus natus & puer (ut qvidam certè adfirmârunt*, repeto verba C. B. e doctor. viror. Elogiis Thuan. p. m. 113.) *in Carmelitarum Cœnobio vitam religioſam profeſſus, dein votô immaturâ ætate factô ſolutus, gnaviter litteris operam de-*

 dit;

dit; lingvarúmqve non vulgari peritiâ ſibi comparatâ, omnium artium circularem ambitum animô ingenti complexus eſt. Oppiani Cynegetica *eleganter Latinè ac ſcitè vertit, & doctiſſimô* Commentariô *interpretatus eſt. Poſt* methodum Hiſtoricam, *&* de re monetaria *accuratas diſſertationes; Opus magnum* de Repub. *Gallicè publicavit. In qvo ut omni ſcientiarum genere non tincti ſed imbuti ingenii fidem fecit: ſic nonnullis, qvi rectè judicant, non omninò ab oſtentationis innato gentis vitio vacuum ſe probavit. Poſteà &* Dæmonomaniam, *&* Naturæ Theatrum *publicavit.* Depingit nobis hominis ingenium non falſò fortè Hugo Grotius, Epiſt. CLXVI. earum, qvas Joach. Geſenius Lipſiæ curavit annô M. DC LXXIV. in 12. p. m. 350. his verbis: Bodinum *exiſtimavi ſemper, hominem rerum qvàm verborum ſtudioſiorem, Latinitate utentem haud planè nitidâ, metricarum legum pueriliter imperitum, Græcis litteris vix imbutum, Hebraicorum morum ac ſententiarum ſatis gnarum, non ex interiore lingva illius cognitione, ſed ex amicitia, qvam coluit cum doctiſſimis Hebræorum, qvæ in illo πληροφορίαν eam, qvæ in Chriſtianis reqviritur, non parum labefactavit. In hiſtoriis & teſtimoniis citandis video eum à vero ſæpe abire, neglectu malô*

cre-

credere, qvàm dolô: qvanqvàm interdum vix eſt, ut doli ſuſpicionem effugiat. Memorabilis ſeqvens eſt epiſtola, qvam primus, qvod ſciam, evulgavit, ſuæqve Galliæ Orientali inſeruit Paulus Colomeſius Rupellenſis, p. in. 82. edit. Hag. M. DC LXV. in 4to: hæc illi præmittens in margine: *Autographum eſt penes Nicolaum Rittershuſium, Conradi filium, & in Altorfina Academia Juris Profeſſorem, ex qvo clariſſimus vir Joh. Fredericus Gronovius, Academiæ Leydenſis hodie lumen, iſta deſcripſit, Noribergæ, Die* 21. *Sept. Anni* 1632. *Qva A.* 1645. *D. Pitterio, de qvo ſuprà, p.* 80. *ab ipſo Gronovio communicata, ille ad Rev. Parentem miſit A.* 1648. Ipſa ſic habet Epiſtola: Jacob. Bongarſius Clariſſimo viro D. Conrado Rittershuſio J. C. Profeſſori, Francofurti 4. Aprilis 1600. *De Bodino qvid cognoverim paucis accipe. Libros de Rep. cùm primùm ederentur, legi avidè, Annô, niſi fallor,* 1576. *recens tùm à Germania. Ingenium hominis arridebat, placebat multa illa lectio, ſed qvoties attingebat res Germanicas, videbam hominem errare turpiter & judicium paſſim deſiderabam. Venio inde ad audiendum Cujacium, inaudiêrat is tangi ſe à Bodino, Librum reqvirit, is nullus erat apud Bibliopolas: Mittit ad me, qvem Hiſtoriarum*

ſtudioſiorem noverat qvàm Juris Tribonianici. Librum à me accipit, & aliqvot poſt dies datâ occaſione in hominem publica in lectione inſurgit, per duas horas & qvod excurrebat oratione perpetuâ. Recitatio illa à qvibuſdam ad Bodinum mittitur. Is in altera editione Epiſtolam præmittit operi, inſcriptam Pibracio, qva in Cujacium atrociter invehitur, ſed eorum, qvæ Cujacius notaverat, in iſta altera editione, nec volam reliqvit nec veſtigium, A. 1583. *Venio inde in Daniam, Principes & magnos viros convenio, qværunt qvod ſit de Bodino Judicium? Ego ignorans ſcripſiſſe illum qvod eos morderet, reſpondeo haberi pro homine magni ingenii, judicii nullius. Tum hi, ſcripſiſſe illum de gente & moribus Danicis falſiſſima. Conſulo inde Carolum Dancæum Regium in Dania legatum, virum & doctrinâ & uſu rerum & pietate inſignem: Is mihi ſtatim paginas aliqvot profert inſcriptas ipſi Pibracio, qvibus qverebatur factam ſibi injuriam, qvi falſa & inepta ſcribens de Danicis rebus, laudaſſet Litteras ſcriptas ab ipſo Dancæo tanqvàm viſas & lectas: Sed ſibi iſta ſcribere apertè & craſsè conficta, nunqvàm veniſſe in mentem, petere ut ſeqventi editione retractentur; aliàs accuſaturum hominem apud Regem. Excerpſerat Dancæus mendacia illius de Danicis omnia, qvæ cùm ex-*

exſcribere ego cuperem, nec vacaret diſcedenti, dicebat Danæus non eſſe exſcriptione opus, nam ne nominare qvidem unqvam Daniam aut Sueciam aut alium Septentrionis illius locum ſine mendacio. Idem in Polonia mihi de ſuis rebus multi confirmârunt. Et erat Mos Bodini, qvacumqve de exteris à circumforaneo qvolibet audiret, ea abſqve alia cura notare & publicare. Jam edidiſſe illum lectiones Turnebi in Oppianum pro ſuis, nemo noſtrorum ignorat: Sed in Libris de Rep. monitus, pleraqve mutavit in melius. Ego primam tantùm editionem legi, ſecundam inſpexi leviter, ſit non inutilis ejus opera; ea certè non eſt, ad qvam deduci debeat adoleſcens tanqvàm ad fontem aut purum rivulum. Sed de his plus ſatis. Vale, vir clariſſime, & me ama. Renati Herpini ad veriùs illuſtrandam Jo. Bodini de Republ. methodum contra Neotericorum invectiones & calumnias Apologia prodiit Francof. M. DC XV. in 8t.

XLI. BOETII Severini *ingenium*, repeto verba Julii Cæſaris Scaligeri e lib. VI. Poetices, c. V. p. m. 825. *eruditio, ars, ſapientia facilè provocat omnes auctores: ſive illi Græci ſint, ſive Latini. Seculi barbariâ ejus oratio ſoluta deterior invenitur: at qvæ libuit ludere in poeſi, divina ſanè ſunt. nihil illis cul-*

tius, nihil gravius. neqve denſitas ſententiarum venerem, neqve acumen abſtulit candorem. Eqvidem cenſeo paucos cum illo comparari poſſe. Valla docet eum Latinè loqvi: at Vallam Boetius bene ſapere. Ille ipſe Scaliger, II. Poëtices, c. IX. p. 150. *in hoc divino viro* Boetio *illud ſæpe ſe miratum* ſcribit, qvòd, *qvum plus poſſet, minus voluit.*

XLII. Martinus BUCERUS paullò anteqvàm moreretur, teſte Thuanô, lib. VIII. Hiſtor. circa fin. p. m. 738. extr. edit. Lutet. CIↃ IↃC IX. in 12. *cùm Germaniæ ſtatum deploraret, vereri ſe ſæpius dixit, ut in tanto multorum ardore Deum cognoſcendi & eccleſiæ inſtaurandæ, deficiente diſciplinâ, quâ improbi caſtigarentur & ordo in miniſterio ſervaretur, laudabiles eorum conatus diu aut feliciter procederent. itaqve optare unicè ſe, ut quæ ad Eduardum regem de eccleſiæ diſciplina conſtituenda ſcriptô comprehendiſſet, per Angliæ regnum locum haberent & religiosè obſervarentur.* Libri duo Buceri de Regno Chriſti, hi enim ſunt, qvos Thuanus vult, prodiêrunt Baſileæ M. D LVII. in fol. Auctore Jo. Calvinô in præfatione Commentar. in Epiſt. ad Roman. Bucerus *præter reconditam eruditionem, copioſámqve multarum rerum ſcientiam, præter ingenii perſpicaciam,* mul-

multam lectionem, aliáſqve multas ac varias virtutes, qvibus à nemine fere hodie vincitur, cum paucis eſt conferendus, plurimos antecellit, hanc ſibi propriam laudem habet, qvòd nullus hâc memoriâ exactiore diligentiâ in ſcripturæ interpretatione verſatus eſt. Et mox: Bucerus *& prolixior eſt, qvàm ut ab hominibus aliis occupationibus diſtrictis raptim legi, & ſublimior, qvàm ab humilibus, & non valde attentis intelligi facilè qveat. Nam ad cujuſcunqve argumenti tractationem ſe contulit, tam multa illi ad manum ſuggeruntur ab incredibili, qvâ pollet, ingenii fœcunditate, ut manum de tabula tollere neſciat.*

XLIII. Georgius BUCHANANUS e Levinia Scotiæ Provincia ad Blavum amnem in villa ruſtica oriundus, *vir*, ut in p. 75. Elogior. Thuaneor. laudatur, *ingenii felicitate & ſcribendi facultate (qvod ejus ſcripta ad omnem æternitatem victura, vel fatente invidiâ teſtantur) noſtrâ ætate incomparabilis; in ſenili otio patriam* Hiſtoriam *aggreſſus eſt. Qvam tantâ puritate, prudentiâ & acumine ſcripſit (qvamvis interdum libertate genti innatâ* contra Regium faſtigium acerbior) *ut ea ſcriptio non hominem in pulvere litterario verſatum, ſed in media hominum luce & in tractandis Reip. negotiis totâ vitâ exercitatum redoleat. Adeò*

ingenii felicitas & animi magnitudo omnia obſcuræ & humilis fortunæ impedimenta ab eo removerant; ut propterea non minùs rectè de maximis rebus judicare & ſcribere prudenter poſſet. Et ſanè memini P. Ronſardum *virum acerrimi judicii (qvi licet in diſpari fortuna conſtitutus totâ vitâ Scholaſticô otiô oblectatus fuerat) cùm de* Buchanano, Hadr. Turnebo, Ant. Goveano, M. Ant. Mureto *(qvibuſcum arcta amicitia conjunctus fuerat) verba faceret, dicere ſolitum*, Illos homines nihil Pædagogicæ præter togam & pileum habuiſſe; *& tamen de vulgo Pædagogorum ſic cenſere, nunqvàm incorrigibilis ineptiæ ex Pædagogica contractæ characterem vel longiſſimi ævi curriculô deleri poſſe.* Auctor Bibliographiæ Hiſtorico-Politico-Philolog. Curioſæ, p. m. 146. extr. fatetur qvidem; Buchanani Scoticam Hiſtoriam *elegantiſſimô ſtylô conſcriptam, verùm in reginam Mariam nimis & præter meritum haut raró acerbam eſſe.* Scripſit Buchananus & de Jure Regni apud Scotos Dialogum, *in qvo tantum abeſt*, auctore Caſp. Zieglerô, Lipſienſi, & Anteceſſore Wittenberg. à qvo cùm ibi degerem, amare laboravi, etſi laborandum non erat, cùm vel ſponte ſtudia noſtra juvabat; in Exercitationib. circa Regicidium Anglorum, p. m. 127. edit. hic Lu-

Lugduni M. DC LIII. in 12. *ut dignitatem & jura regia exornet, aut magnifaciat, ut potiùs Regem ſuum, cui tamen totum librum dicatum voluit, etiam de prædiolo, de luminibus, de ſtillicidiis accuſari & adverſus eum judicium dari poſſe contendat.* Nolo hìc de jure regio diſputare; Nabothi vinea Achabo malè ceſſit. 1. Regum XXI. 2. 3. 19. ſ. XXII. 38. In meo exemplari, qvod ex illuſtri Bibliotheca pervenit ad me, Dialogus iſte in margine, *Turbati Regni fons & origo* vocatur, ſed Scriptura ejus. qvi hæc adſcripſit, ignota mihi eſt. Habeo Amſterodamenſem editionem Hiſtoriæ rerum Scoticarum Buchanani CIↃ IↃC XLIII. in 8t. Gvil. Barclaji, Aberdonâ Scoti, Ducis Lotharingiæ Conſiliarii, ſupplicum libellorum Magiſtri, & Profeſſoris Academ. Muſſipontanæ, Andegavi mortui annô CIↃ IↃC XI. De Regno & Regali poteſtate, adverſus Buchananum, Brutum, Boucherium, & reliqvos Monarchomachos libri VI. exiêrunt Pariſiis M. DC. & Gallicè M. DC IX.

XLIV. Gul. BUDÆI *felix ac fæcundum ingenium*, ut laudat Ludov. Vives in Commentar. ad libr. II. Auguſtini de Civitat. DEI, c. XVII. p. m. 209. edit. Francof.

M.

M. DC LXI. in 4to, *in ſe uno invenit & doctorem & diſcipulum, & docendi viam, rationémqve. Et cujus decimam partem alii ſub magnis magiſtris vix diſcunt, ipſe id totum a ſe magiſtro edoctus eſt.*

XLV. In Joh. BUGENHAGIO Pomerano, *naturæ clementiam & modeſtiam ſingularem, qvæ & ipſe vultus, animi plerumqve index, ſignificare videtur*, commendat Jac. Verheiden Gravienſis in p. m. 35. Effig. Præſtantium aliqvot Theologor. edit. Hagæ M. DC II. in fol. Meum exemplum ipſe Verheiden manu inſcripſit cuidam verbi DEI miniſtro, cujus nomen exciſum. Jac. Aug. Thuanus, part. I. Tom. III. Hiſtoriar. lib. XXI. ad ann. M. D LVIII. p. m. 344. extr. Bugenhagium *moderatô ingeniô & eruditione rarâ* excultum vocat. Exſtat Tom. III. Selectar. Declamation. Philippi Melanchthonis integra, & numerô ultima Oratio, p. m. 772. ſ. edit. Argentorat. M. D LXII. in 8t. de vita Bugenhagii Pomerani, Theol. D. & Paſtoris Eccleſiæ Witteberg. a Petro Vincentio Uratiſlavienſi habita;

XLVI. Henr. BULLINGERO in doctor. viror. Elogiis Thuaneis, p. 62. *mitius ingenium* tribuitur, *qvàm Zvinglio*. Judice

dice Calvinô in præfatione Commentar. in Epiſt. ab Roman. *conjunctâ cum doctrina facilitate ſe magnoperè* Bullingerus *adprobavit*.

XLVII. Jul. CÆSAR adfectatæ remotis eloqventiæ calamiſtris, Latinitate purâ, ſimplice & ex ſe ornatâ uſus eſt. nam Commentarii ejus, in Bruto c. LXXV. Tulliô cenſente, *ſunt recti & venuſti omni ornatu orationis, tamqvàm veſte detractô*; ut cum Adriano Turnebo, lib. XIV. Adverſarior. c. XXII. p. m. 269. a. extr. edit. Aureliopol. M. DC IV. in 4to pro *detracta* legam. Enimverò Cæſaris orationem nec duram reddit adfectatio, nec maculoſam peregrinitas, nec impudicam aut laſcivientem ornandi ſtudium ineptum. Venuſta, decora, ſobria eſt, & qvia nunqvam Lectorem torqvet, jucunda perpetuò ac ſvavis eſt, leniſſimo ſimilis amni fluens, & qvidem eâ virtute, qvam Hermogenes καθαρότης vocat, nos ſtili puritatem, perſpicuitatémqve dicimus. *Adparet*, auctore Cauſſinô, III. de Eloqventia, c. XIV. p. m. 170. b. *in eo mira natura atqve ingenii felicitas, candor, facilitas. Nihil detortum, nihil affectatum, nihil puerile; minus ornamentorum habet, ſed & minus ineptiarum. in eo genere, qvod tractat, prudens eſt & felix; ad exemplar, conforma-*

tio-

tionémqve hiſtorici ſtyli perutilis; Qvi vir, ſi foro vacâſſet, eodem vigore dixiſſet, qvô bellavit. Confer Qvinctilianum, Inſtitutione X. c. I.

XLVIII. Qvinctus CALABER, aliis *Cointus Smyrnæus* dictus, ſolus poſt Homerum, ut optimus Poëta, legi dignus, inſcriptione Παραλειπομένων, qvæ XIV. libri ſunt, qvorum titulus, τὰ μεθ' Ὅμηρον, ſeverum declinavit Ariſtotelis judicium, qvod Dan. Heinſius adfert in Diſſertatione de Nonni Dionyſiacis, ſubjuncta Petri Cunæi Animadverſionum libro in dicta Nonni Dionyſiaca, p. m. 182. edito hìc Lugduni M. DC X. in 8t. & diverſam rationem ſibi ipſe præſcripſit a ceterorum Poëtarum, qvi non multorum, verùm unius actiones ſunt proſeqvuti, ſed & omnes & non uniformes, aut eaſdem. Qvales qvi in Heracleide omnes Herculis, in Theſeide omnes Theſei deſcripſerunt, nam qvæ Hectore interfectô a diverſis ſunt geſta, Calaber perſeqvitur: qvemadmodùm Macer ad iratum Achillem, hoc eſt, operis Homeri principium bellum Trojanum deduxerat. Vide Heinſium dictô locô. Laurentio Rhodomano Calaber æſtimatur dictione Homero ſimillimus, id qvod non difficulter credit Ol. Borrichius, qvem

qvem vivum Havniæ vidi, audivi & amavi, mortuum colo, Diſſertat. I. de Poëtis, §. XLIII. p.m. 18. *Viro in lectione utriuſqve Scriptoris verſatiſſimo.*

XLIX. M. CALIDIUS, *non fuit Orator unus e multis*, verba Ciceronis in Bruto ſunt, c. LXXIX. *potiùs inter multos prope ſingularis fuit: ita reconditas, exqviſitáſqve ſententias mollis, & perlucens veſtiebat oratio. nihil tam tenerum, qvàm illius comprehenſio verborum: nihil tam flexibile: nihil, qvod magis ipſius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris æqve in poteſtate fuerit: qvæ primùm ita pura erat, ut nihil liqvidiùs: ita liberè fluebat, ut nuſqvàm adhæreſceret: nullum, niſi locô poſitum, & tanqvàm in vermiculato emblemate, ut ait Lucilius, ſtructum verbum videres. nec verò ullum, aut durum, aut inſolens, aut humile, aut longius ductum: ac non propria verba rerum, ſed pleráqve tranſlata; ſic tamen, ut ea non irruiſſe in alienum locum, ſed immigrâſſe in ſuum diceres; nec verò hæc ſoluta, nec diffluentia, ſed adſtricta numeris; non apertè, nec eôdem modô ſemper, ſed variè diſſimulantérqve concluſis.* Splendorem Orationis Cæſari tribuit Auctor Dialogi, de Oratorib. c. XXV. 6. Aſperitatem & ingenium Cœlio Qvinctilianus, Inſtitut. X. c. I. ſubtilitatem

tem alii Calidio, gravitatem Bruto, acumen Sulpicio, acerbitatem Caſſio, diligentiam Pollioni, dignitatem Meſſalæ, ſanctitatem Calvo. Vide citatos auctores, & Cauſſinum, l. de Eloqventia, c. LVII. LX. p. m. 38. ſ.

L. D. Georg. CALIXTUS, judice b. Abrah. Calovio, in Epiſtol. dedicator. Iſagogæ ad S. Theologiam præfixa, p. m. 4. *delectatur admodum* Adpendicibus, *ut nec in literis ad Illuſtriſſima capita his ſuum genium defraudare* (*defraudari* enim a typographo eſſe puto) *poſſit*.

LI. Joh. CALVINUS terſè, nitidè, politè & Latinè ſcribit admirabili præ ceteris omnibus facundiâ præditus.

LII. Joach. CAMERARIO nemo ex noſtris hominibus Græcè doctior fuit, communi omnium ferè doctorum ſuffragiô. Teſtimonia multa de eo congeſſimus Tomô III. Methodorum, cui titulum de Eruditione comparanda fecimus, n. I. p. 2. ſ. editô hìc annô M. DC XCIX. in 4to. Jac. Aug. Thuani verba e part. IV. Hiſtoriar. Tom. IX. ad ann. CIↃ IↃ LXXIV. p. m. 170. ſ. edit. Pariſ. M. DC IX. in 12. a nobis ibi omiſſa hìc addo: Joach. Camerarius *Papeberga in Franconia annô* CIↃ IↃ. *&*

eo-

eodem ipſo menſe, qvô mortuus, natus locô nobili ſed in modicis opibus eſt, ad hæc ſpecie ingenuâ præditus nobilitatem generis, qvantum per conditionem & ætatem licuit, nobilibus exercitiis retinuit, eqvitandi peritiâ inſignis, de qva ad Xenophontis librum, qvem de re eqveſtri ſcripſit, a ſe Latinè verſum ac notationibus explicatum, & peculiarem commentarium ſubjecit. de cetero cùm vitam otio literario conſecrâſſet, poſt perceptam utriuſqve lingvæ exactam notitiam, qvas & variis ſcriptis illuſtravit, non ſolùm ad bonos auctores in utraqve lingva interpretandos tàm poëtas qvàm oratores & hiſtoricos, ſed etiam in ſolidioribus philoſophiæ, mathematicarum artium, & poſtremò theologiæ ſtudiis multa commentatus eſt. ad qvæ omnia, qvod pauci ante illum fecerant, politioris litteraturæ ornamenta ſemper attulit, variis in omni doctrinæ generé lucubrationibus, aut dùm vixit editis, aut poſt ejus mortem a tanto patre dignis filiis publicatis, qvæ ſparſim & diverſis temporibus ac locis per particulas edita, cùm ejuſmodi ſint, ut iis ad rem litterariam plurimum emolumenti ſit redundaturum, ſimul omnia aliqvando edi reipublicæ maximè intereſt: conſtans ac perpetuus Philippi Melanchthonis amicus fuit, ejus ſtudiorum, voluntatum, ac conſiliorum particeps, & cùm ipſe Lipſiæ larem fixiſſet, & ille Vitembergæ

E *pro-*

profiteretur, per litteras amicitiam eam toto XXX. annorum tempore coluerunt. & Melanchthonis quidem litteras ipſe Camerarius poſt mortem ejus ſtudioſè collectas ac digeſtas publicavit, ſuis non inſertis; qvarum partem filii poſt patris obitum, tum alias ad diverſos duobus voluminibus diſtinctas ad utilitatem publicam ediderunt. tandem vir optimus & de repub. tot exantlatis laboribus bene meritus ex hac vita migravit XV. Kal. Majas.

LIII. De Joan. CAMERONE ex Epiſtola Gvil. Riveti Apologetica (non ad Fratrem, ut B. Hülſemann. locô mox citando ſcribit; ſed) ad Theophilum Roſſellum memorat D. Joh. Hülſemann. in Præfatione Διαλύτ. Apologet. p. m. 15. dictum Gvil. Rivetum, cùm laudibus Cameronis detrahere vellet, inter alia etiam hæc duo objicere, &c, qvòd Ramiſticæ Dialecticæ innutritus eſſet, ipſe verò à puero fidem habuerit huic dicterio, *Nunqvàm erit magnus, cui Ramus eſt magnus.* Et, qvòd præ animi magnitudine, qvoties in publicis diverſoriis ſumtus ab inſtitore poſceretur, iniqva petenti nihil unqvam derogaverit; qvod ille tanqvam indecorum, & præter morem gentis ſuæ factum exprobrat. Ita conglomeramus homines in capita, eorum, qvos odi-

odimus, carbones vivos pariter & extinctos. Verba Riveti de Ramea Cameronis Theologia produxi part. XII. Animadverſ. mear. c. I. §. V. n. XIII. p. 69. Sed de liberalitate Cameronis ipſa hic e p. 126. Riveti ſubjicio verba: *Camero ſe popularibus ſuis non acceptum videns, primum, utcumqve ſcivit pacatam Galliam, de reditu ad nos cogitavit, & annô M. DC XXIII. Lutetiam venit; ſuper his, qvæ in Britannia non ex animo ſucceßiſſent, in eo ſe ſolatus, qvòd ſereniſſimum Jacobum Regem amicum ſibi comparáſſet: Familiaribus dicere ſolitus,* Je le peux dire ainſi, Noſtre Roy eſt mon ami. *Sed ab amico Rege, Principe alioqvi profuſo, rediit vacuus. Qvod cùm reſciviſſent alius ordinis & notæ amici qvidam ejus, effecerunt ut à Synodo Nationali, qvæ tunc Carentoni habebatur, pro iis annis, qvibus magno Regi operam navaverat, de exiguo Eccleſiarum noſtrarum penu, mille francorum ſtipendium ei ſolveretur. Sed exigua hæc ei ſumma fuit. Nam ſuæ originis oblitus, & ejus temporis immemor, qvô in eorum numerum cooptatus, qvi XXV. Marcarum annuâ penſione* pauperum *aliqvot* civium filiis *deſtinatâ* (for poore citiçens ſoones *ut habet formula conceſſionis) fruerentur, eâ conditione, ut, inter ſe diſtributis temporibus, tintinnabulum pulſarent, præceptoribuſqve famu-*

larentur in libris deferendis, qvùm ad templum irent; vel iis diebus, qvibus ludebatur, arma ut vocabant campeſtria, hoc eſt arcus, Pharetras, Sclophas &c. portarent: Ejus temporis, inqvam, immemor regius amicus; de imperio & regno Theologico, cujus altas in animis diſcipulorum fixerat radices, tantùm cogitans, pecuniam ut aqvam profundebat. Et de taberna ſi qvid emeret, aut ſi hoſpiti expenſa numeraret, de poſtulato pretio qvicqvam demere, aut vel verbulô intercedere, ſe indignum cenſebat.

LIV. Gvil. CANTERUS, qvô ſtudiô futurus eſſet, auctore Suffridô Petrô, Decad. XVI. c. VIII. de Scriptorib. Friſiæ, p. m. 196. edit. Franeqver. M. DC XCIX. in 12. *ſtatim à nativitate ſua præſagiô neqvaqvàm ambiguô declaravit, utpote qvi dum infans adhuc in ſinu nutricis hæreret, nullâ re magìs delectaretur qvàm libris: Et ſi qvando in vagitum ſolutus eſſet, nullô ſolatiô citiùs, qvàm libri alicujus oblatione placari poſſet, libróſqve dum contrectare atqve volvere concederetur, facilè omnis incommodi atqve moleſtiæ obliviſceretur:* Et p. 215. *Cùm vitam ſuam*, inqvit, *univerſam ſic inſtituiſſet, ut eam non immeritò exactiſſimam Philoſophiæ praxin appellare poſſis, non intra privatos duntaxat parietes ejus virtus ſe continuit; ſed etiam foris omnibus merito ad-*

mi-

miranda fuit, utpote quem ut uxorem nunquàm duxiſſe omnibus exploratum, ita ullius unquam fœminæ conſvetudinem expetiviſſe, nulli compertum ſit, illud cunctis liqvet, qvi cum eo familiariùs converſati ſunt, ab omni obſcœnitate ita eum abhorruiſſe, ut ſi cui, vel imprudenti fortè, laſcivius aliqvod verbum inter loqvendum excidiſſet, pudiciſſimæ cujuſdam virginis inſtar, erubuerit; eáqve cauſſâ illo præſente ſermones ejus generis de induſtria ſemper fuiſſe vitatos ab his, qvibus id conſtabat. Cùm autem de patrimonio ſuo viveret, ita rerum ſuarum rationem inſtituit, ut reditibus annuis multum ſupereſſet: unde factum eſt, ut pecuniâ ſemper abundaret. Ac ne cuiqvam obſtrictus libertatem amitteret, aut qvenqvam fraudaret ſuô, qvicqvid agendum erat, præſenti pecuniâ expediebat, in ære nullius unqvam manſit, officium ſemper officiô promtiſſimô penſavit; Reditus Eccleſiaſticos, ut iis illicitos, qvi altari non ſerviunt, conſtantiſſimè ſemper averſatus eſt: Qvin & muſas ſuas omnibus gratuitùs expoſuit. Cùm neqve ex operum dedicationibus unqvam munus ullum ſperaverit, neqve ſtipendium ullum vel publicè vel privatim litterarum nomine acceperit, etiamſi non ſemel tum à privatis perſonis gratitudinis ergò, tum à bene fundatis civitatibus honoris gratiâ oblatum illi eſſe conſtet. Addam & hoc ſingulare e

p. 234. probè notandum: *Erat eô ingeniô Canterus, ut non agenda promitteret, ſed acta proferret, neminémqve pateretur propoſiti ſui conſcium, ideóqve non modò percontatores, ſed etiam famulos averſabatur, qvò ſibi magis in tuto forent arcana, qvæ eliminari nolebat longè tum prudentior tum modeſtior illis, qvi parturiunt anteqvàm conceperint, & multa jactitant, qvaſi jam abſoluta opera ſua, qvæ nunqvàm inchoârunt, aut ne inchoaturi qvidem unqvàm ſunt.* Jac. Aug. Thuanus; part. IV. Tom. IX. Hiſtoriar. lib. LXI. ad ann. M. D LXXV. p. m. 293. Canterum ſic commendat: *G. Canterus, primis utriuſqve lingvæ rudimentis ſub* Joanne Aurato, *optimo juventutis præceptore, Lutetiæ factis, induſtriâ propriâ tantum poſteà profecit, ut editis qvamplurimis ſcriptis inter* eruditiſſimos *ſui ſeculi numerari meruerit, plura utiqve præſtiturus, niſi eum ex rerum* Belgicarum *infauſtô augurio mœror conceptus, & ex mœrore mors immatura eripuiſſet.*

LV. De Hieron. CARDANO magni nominis ſive Mathematico ſive Medico, hæc reliqvit Jac. Aug. Thuanus, part. IV. Hiſtor. Tom. IX. lib. LXII. ad ann. M. D LXXVI. p. m. 354. *Varia ejus vita, ut mores, pluráqve ipſe de ſe inaudita*

in

in viro litteras profeſſo ſimplicitate ſeu libertate ſcripſit, qvàm curioſus qviſqvam a me exigat. Romæ eum diverſô ab aliis cultu incedentem paucis ante obitum annis conſpicati & adlocuti ac ſæpiùs admirati ſumus, cùm celeberrimi tot ſcriptis hominis recordatio ſubiret, neqve tamen qvidqvam in eo, qvod tantæ famæ reſponderet, animadverteremus; eóqve magis Julii Cæſaris Scaligeri acerrimum judicium ſuſpeximus, qvi divinum ingenium ſuum in opere de Subtilitate exagitando præcipuè exercuit, inæqvalitate illius ubiqve diligenter notatâ, qvi in qvibuſdam interdùm plus homine ſapere, in pluribus minus pueris intelligere videatur. in arithmeticis multa conatus eſt & invenit. judiciariæ, qvam vocant, fidem apud multos adſtruxit, dum certiora per eam, qvam ex arte poſſint, plerunqve promeret. verùm extremæ amentiæ fuit imò impiæ audaciæ, aſtrorum commentitiis legibus verum aſtrorum Dominum velle ſubjicere. qvod ille tamen exaratâ Servatoris noſtri genitura fecit. tandem cùm tribus diebus minus ſeptuageſimum qvintum annum impleviſſet, eodem, qvô prædixerat annô & die, videlicet XI. Kal. VIII. br. defecit, ob id, ne falleret, mortem ſuam inediâ acceleráſſe creditus. corpus ad D. Andreæ depoſitum, dein Mediolanum tranſlatum, & ad D. Marci in majorum monumento conditum

 eſt.

eſt. Sed auctore Oporinô Grubiniô, ſive Scioppiô, in p. m. 120. Amphotid. Scioppianar. edit. Pariſ. CIƆ IƆC XI. in 8t. Cardanum *certè, qvamvis plus æqvô* judiciariæ, *qvam vocant*, Aſtrologiæ *deditum, tamen ſummum fuiſſe Philoſophum ac Medicum, & omnijuga ſapientiæ laude non facilè cuiqvam antiqvorum ſecundum, adhæc virum optimum, & bonis doctiſqve omnibus gratum & amicum, nemo intelligens & candidus judex negaverit.* Hunc hominem, totámqve vitam ejus planè ſingularem fuiſſe, docebit liber Cardani de vita propria Amſtelæd. M. DC LIV. in 12. editus e Bibliotheca Gabr. Naudæi; non adeò obvius, ſed non inutilis.

LVI. Qvod Lucretius, lib. III. 11. ſ. de ſuo carmine canit:

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta:
Aurea, perpetuâ ſemper digniſſima vitâ;

id de Chronico CARIONIS Philippico rectiſſimè uſurpari poſſe, putat in Chronologia Hiſtoriæ Herodoti & Thucydidis David Chytræus, p. m. 124. *in qvo verè* κορυφὰς ἀπὸ πασῶν ἱςορίας ἀρετῶν ἔδρεψε *& Hiſtorias Eccleſiæ & Imperiorum ſingulari judiciô electas, ſapientiſſimè accommodavit ad locos communes & regulas Legum; & dulciſſimas* γνώ-

γνώμας intexuit, quæ omnium vitæ, conſiliorum & actionum normas continent. Quare in Studioſorum manibus aſſiduè verſetur. Rod. Gvaltherus in Apologia pro Zvinglio, hujus operibus præfixa, Tom. I. lit. ζ. ut nonnemo in primo exempli Carionis mei folio adnotavit, ipſe enim Zvinglii opera, qvia non habeo, inſpicere neqveo; non multum Carioni detulit ſcribens: *Exſtat. &* Carionis *cujuſdam Chronicon, hominis, qui albus an ater ſit, non novi; hic tamen (quod ſatis ſcio) vel maligni, vel egregiè negligentis & incurii. Non contentus enim vetuſtiſſimam Tigurinorum civitatem ſeditionis contra Rodolphum Habſpurgenſem Romanorum regem excitatæ falsò accuſaviſſe, etiam hôc locô mendacia ſua in tanta urbis ignominiam ſpargenda eſſe credidit.* Inter damnatos auctores reperies Carionem in Indice Expurgator. Luſitan. f. 745. & in Indic. Philippi II. Regis Hiſpan. juſſu, atqve Albani ducis conſiliô concinnato in Belgio annô M. D. LXXI. item juſſu Gaſp. Gvirogæ Cardinalis & Archiepiſcopi Toletani annô eod. edit. p. m. 142. ſ. edit. Hanovienſ. 1611. in 8t. Eſt in medio de Joh. Carione eximia Diſputatio Dan. Gvil. Molleri Altdorfi habita & edita M. DC. XCVII. in 4to.

LVII. Uſitatam Iſ. CASAUBONO Græcæ Lingvæ mixturam cum Latina carpit Andreas Eudæmon Joannes, ortu Græcus in reſponſ. ad Epiſt. Caſaub. his: *Omnis tibi cura, omne ſtudium illud eſt, ne qva Epiſtolæ tuæ pagina, Græcâ aliqvâ voculâ careat, qvamvis Latinæ non malæ plerumqve ſuppetant. Qvòd ſi Homerici alicujus verſiculi proferendi occaſio ſit, qvam* (f. *qvem*) *Latinè deinde ſubjicias, cælum, nimirum, digitô tetigiſti. Præclarum verò exqviſitioris eruditionis genus, Latinam orationem Græcis voculis, veluti inſertis ſuccidiæ fruſtulis condire, ut Græculus videâre; in Cælum iturus, cùm Dominus juſſerit. Jam ubi Græcis ea conjunxeris Latina*, ſiit, *&* ſies, *&* operam abutor meam, *& carioſa neſcio qvæ*

—— cinctutis vix olim audita Cethegis: *tùm demum mirificè loqvutum te ſperas. At qvid aliud, oro te, riſum ineptâ litterularum oſtentatione captans Ludi-magiſtellus in ſcena faceret? Qvis eſt, qvi Græcè modò legere didicerit, qvi non iſtâ ratione ſcribere poſſit, ſi libeat.* Sanè Caſauboni ſocer Henr. Stephani in p. m. 16. Palæſtræ I. de Lipſii Latinit. edit. Francford. M. (non C. ut malè ibi eſt, ſed) IↃ XCV. in 8t. *non libenter Græcâ utitur lingvâ, ubi Latinæ ſatis locuples eſt penu.* Idem p.

p. 23. *qvum Latinum*, inqvit, ipſiſſimus *apud Plautum habeas, cur vocabulum αὐτότατος a Græco ſermone mutuaris?* Et mox: *jam admonitus a me fuiſti ſemel atqve iterum, non intermiſcendam eſſe Græcam vocem, ubi Latina Lingva ei reſpondentem ſuggerit.* Illi ipſi p. 30. *qvod Latine dici poteſt, id Græcè dicere, atqve ita Latino ſermoni Græca vocabula intertexere, putidum, aut ſaltem ſubputidum videtur.* Qvamqvàm *non ſimpliciter id dixerit de iis, qvæ Latinè efferri poſſunt, (cùm pauca ſint, vel potiùs pauciſſima, qvæ Latinè efferri, per periphraſin ſaltem, haud qveant) ſed de iis, qvæ Latinè efferri æqvè commodè, æqvè eleganter, aut ſignificanter, poſſunt: aut ſaltem ita, ut parum ſit diſcriminis. Qvum autem æqvè commodè dico*, pergit H. Steph. *ad brevitatem potiſſimùm reſpicio: cui præcipuè ſtudendum eſſe inter omnes conſtat.*

LVIII. In Joan. CASELII Græcarum præſertim & Latinarum litterarum exactâ notitiâ, eloqventiâ præclarâ, & tam Philoſophiæ moralis ac civilis, qvàm omnium, qvæ ad juventutis educationem pertinent, admirabili prorſus ſcientiâ præditi ſtilo voluerunt nonnulli freqventes negationes, ſenſu poſitas adfirmante notare, & qvare nonnunqvàm ſubobſcurior ſit, cauſſam arceſſere. Fortè hæſit id ipſi e Joach. Camerarii

Præ-

Præceptoris ejus ſchola; qvi & non raro talibus utitur ejuſdem ſententiæ negativis particulis.

LIX. Georgius CASSANDER, forſan ab Inſula *Caſſand*, ubi natus, ſive Brugis Flandrorum, ita dictus, a pleriſqve ob ſingulare moderationis in Theologia ſtudium laudatur. Henricus Bullingerus, teſte Dan. Heinſiô in ad Corn. vander Myle epiſtola, Selectiorib. illuſtrium & claror. viror. Epiſtolis, Lugduni Batav. M. DC XVII. in 8t. editis præfixa, p. m. 11. *non ſemel ad Caſſandrum, qvia neutri (ſicut ipſe loqvi amat) parti ſe addixerat, provocare in nonnullis audet: eundem*, veræ pietatis pariter & eruditionis ſtudioſiſſimum, virum doctiſſimum, fratrem chariſſimum, *vocat:* eum ſe amare, & propter pietatem & litteras, neqve minùs cupere viciſſim ab eo amari, *profitetur. qvódqve his omnibus fortaſſe majus eſt, ejus & ſanctorum precibus, candidè & ſincerè ſe commendat. Et hic eſt Henricus ille Bullingerus, qvem & eruditione & candore nemini ſecundum, in Elogiis pronunciavit Beza.* Caſſandri hujus operâ Ferdinandus Imperator uſus eſt in componendo Religionis diſſidio *& controverſis Auguſtanæ Confeſſionis articulis*, ut Jac. Aug. Thuanus, lib. XXXVI. part. III.

III. Tom. II. Hiſtor. an ann. M. D LXIV. p. m. 76. *amicè conciliandis, is ad exactiſſimam rerum ſacrarum ſcientiam ſummum animi candorem ac moderationem addiderat, & in cognoſcendis hujus ævi controverſiis rationibúſqve, qvibus hac tempeſtas utcumqve ſedari, & ne major diſtractio & dilaceratio in Eccleſiâ fiat, occurri poſſit, conqvirendis omne vitæ ſpatium contriverat.* In doctor. viror. Elogiis Thuaneis, p. m. 42. Caſſander *vir* eſt *utriuſqve Lingvæ peritiâ, & antiqvitatis cognitione, ac rerum poſtremò ſacrarum diligenti ſcrutatione præcellens: rarâ hôc ævô modeſtiâ: & iis qvi ingenium in contentionibus hodie exercent, ad vitandam acerbitatem in exemplum proponendus. Nam tot dotibus inſtructus, ille nunqvàm faſtu intumuit; contumeliis petitus nunqvàm paria reddidit, nullúmqve ullius arrogantiæ ferociæ veſtigium, vel in moribus, vel in ſcriptis ejus deprehenſum fuit. Poſt* Conſultationem, *de controverſis Proteſtantium Articulis, juſſu* Ferdinandi Cæſaris *ſcriptam, & ad* Maximilianum *miſſam, arthritidis doloribus confectus piè defecit.* Auctore Valeriô Andreâ Deſſeliô, p. m. 260. Bibliothecæ Belgicæ, Lovanii editæ M. DC XLIII. in 4to, *qvidqvid* Caſſandro *ab afflicta valetudine, qvacum ſæpiùs conflictari ſolet, reliqvum fuit temporis,*

id

id ferè omnè impendit in cognoſcendas religionis orthodoxæ controverſias, qvatum potiſſimum in Imperio agitabantur, ac rationes, qvibus ea utcumqve componi poſſent, conqvirendas, & quidem maximè in id ſtudii genus, qvod in obſervatione morum, rituum, ac ceremoniarum Eccleſiaſticarum eſt poſitum. Qvo factum eſt, ut Ferdinandus I. Imp. (cùm in id, tum publicè per Comitia & Conventus, tum privatim per ſuos totus incumberet, ut latiùs qvotidie ſerpentes ejuſmodi controverſiæ ac diſſidia, qvoad liceret, exſtingverentur) Caſſandrum *ad ſe evocari juſſerit, cujus ipſe conſiliô uteretur, ſi fortè concordia inter utramqve Religionem, Catholico-Romanam ac Lutheranam ſeu Proteſtantium, iniri poſſet. At* Caſſander, *ob continuos ferè articulorum dolores ita exhauſtus viribus, ut domô efferre pedem non liceret, ſententiam de ſingulis inter Catholicos ac Proteſtantes agitatis capitibus ſuam ſcriptô comprehenſam, ad Maximilianum II. Imp. (qvi Ferdinandô patre mortuô, idem illi denuò mandârat) tranſmiſit. Verùm auctor ille in hoc ſcripto ſuo, & pleriſqve aliis, dum in perſcrutandis Scripturis ſacris, in volvendis SS. Patrum monumentis atqve hæreticorum ſcriptis curioſiùs indagandis ac legendis verſatur, hæreſios notam vix effugit. Et dum in componendis Religionis diſſidiis ſe ponit ſeqveſtrum*

ſtrum atque arbitrum, à recta Fidei ſemita nimium quantum exorbitâſſe viſus eſt. Docebat enim nullam hæreſin ſic errare, ut à ſalute abducat, quamdiu in Chriſtum creditur, vel Apoſtolicum Symbolum tenetur: Eccleſiam item Catholicam non in diſciplinæ ſolùm & morum integritate, ſed & in doctrinæ ſinceritate defeciſſe; licitúmque eſſe homini Chriſtiano in articulis Fidei Orthodoxæ dubitare; quod impium eſt & temerarium: Quare ſcripta ejus pleraque Theologica, Coloniæ ſeorſim & per partes edita, & Lutetiæ nuper ſimul evulgata, à Patribus Concilii Tridentini, aut damnata, aut cenſurâ notata ſunt: quemadmodùm & ipſum Caſſandrum, *morti vicinum, adſiſtente ſibi magnô teſtium numerô, ea damnâſſe, ac ſubmiſiſſe ſe ſcriptáque ſua in omnibus judicio & auctoritati ſanctæ Eccleſiæ, plures fide dignos ſibi Coloniæ atteſtatos fuiſſe, ſcribit* Bern. Sutholtus *J. C. in Cauſæ Conjectione, Cur, ejuratâ hæreſi Calvinianâ, fidem Romano-Catholicam ſit amplexus. Teſtatúrque Corn. Schultingus Biblioth. ſuæ Eccleſiaſticæ Tomo IV. parte I.* Caſſandrum, *etſi varia antè ſcripſiſſet ſententiæ Eccleſiæ non per omnia conſentanea, Catholicè ac piè in gremio Eccleſiæ eſſe defunctum.* Caſſandri Conſultationem de articulis Religionis inter Catholicos & Proteſtantes controver-

fiis

ſis cum Hug. Grotii adnotatis habes in Via ad pacem Eccleſiaſticam Amſterdami edita M DC XLII. in 8t. Dialogum Caſſandri de Communione ſub utraqve ſpecie unà cum aliis ſcriptis & actis eodem facientibus Georg. Calixtus collegit & edidit HelmeſtadI M. DC XLII. in 4to. Caſſandri judicium de Officio pii viri, *nunqvam ſatis laudatum & commendatum* dicit Latermannus, in Declarat. Apolog. p. 106. ad cujus tenorem *Catholicos Orthodoxos* idem Latermannus definit. Juxta cujus (Caſſandri) præſcriptum *ſe ſe viam ſternere ad Chriſtianam Concordiam*, profitentur Theologi Regiomontani Extraordinarii, Mich. Behm, Dreier & Latermann. in litteris ad Theologos Helmſtadienſ. Dantiſci editis 1649. in 4to, idem ac ille Caſſander munus pacificatorum ſuſcipientes & omnibus modis exſeqvi adnitentes, *inqve eadem*, ut loqvuntur, *cum ipſo*, Caſſandro, *navi* conſtituti; nec *aliter communem Chriſtianorum ſalutem & publicam Eccleſiarum tranqvillitatem promoveri poſſe*, juxta cum Helmſtadienſibus cenſentes, *qvàm ſecundum prædictum judicium Caſſandricum*. In qvo qvidem cùm multa reperiantur non laudem & commendationem, ſed debitam cenſuram ac juſtam reprehenſionem meren-

rentia, ſi juxta præſcriptum librorum Symbolicorum ὀρθοποδεῖν velimus; neqvidqvam eos de conſenſu cum libris Symbolicis Eccleſiarum noſtrarum gloriari poſſe, qvi Caſſandri judicium iſtud adprobant, laudant & commendant, oſtendunt b. Calovius, DEI beneficiô iſta reſervatus ad tempora, Tom. I. Syſtematis p. m. 207. ſ. 1035. ſ. 1108. ſ. 1123. ſ. & Theologi Regiomontani Miniſterii Tripolitani Orthodoxi in Anticril. Append. ad n. XV. p. 79. & in notis animadverſoriis ſuper virulentas & proditorias religionis Lutheranæ litteras, p. m. 15. editis Dantiſci 1649. in 4to. Neqve multô de Caſſandri libro ſentit benignius Samuel Mareſius, cujus verba e I. Sylloge Diſpp. Selectar. p. m. 560. §. LXXIX. edita Groningæ M. DC LX. in 4to, ſubjicio: *Qvòd ſi quæratur, quid ſit officii privatorum durantibus iſtis diſſenſionibus, quibus agitatur Chriſtianiſmus, cùm facilius ſit optare quàm ſperare, ut vel illæ partes, quæ cæteroqvin reconciliabiles quodammodo forent (nedum aliæ) moderatiora conſilia ſequantur hôc contentioſô tempore, rixarum, æmulationum & ſuſpicionum plenô, eô caſu non cenſeam recurrendum ad Caſſandri tra*ctatum de Officio Pii viri, *quem ambabus ulnis amplexatus eſt Archiepiſcopus Spalatenſis,*

ex qvo maximè cœpit clancularia coqvere conſilia de Roma repetenda, à Gondemaro Hiſpaniæ Regis legato in Anglia corruptus; qvo cuiqve ſvadetur ſuô locô manere & diſſimulanter ferre in communione, qvam forte fortuna nactus eſt, qvod corrigere non poteſt: Qvô fundamentô multi in Papatu inde Caſſandriſtæ *dicti &* Politicorum *nomine traducti à Jeſuitis, cultui Romano externè adhæreſcunt, etſi eum animô deteſtentur & ſentiant cum Proteſtantibus & Reformatis.*

LX. Sebaſtianus CASTALIO *cùm puriorem*, ut Jac. Aug. Thuanus, part. III. Hiſtoriar. Tom. II. lib. XXXVI. ad ann. M. D LXIV. p. m. 68. refert, *Lingvarum cognitionem ad Theologicam ſcientiam adjunxiſſe ſe putaret; impuras manus multorum judiciô ad ſacra tractanda attulit, cùm a rebus ad tantum opus neceſſariis homo imparatiſſimus novam Bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitus eſt.* Si b. D. noſtrum Calovium, II. Iſagoges ad SS. Theologiam, Sect. Artic. & c. II. can. VII. p. m. 154. extr. audimus, *Verſio Latina* Caſtellionis *exiguam meretur laudem.* Ger. Joan. Voſſio, part. II. Inſtitution. Orator. lib. IV. c. I. Sect. III. extr. p. m. 6. edit. Marburg. CIↃ IↃC LXXXI. in 4to, non probatur eorum diligentia, qvi

in

in ſacrarum litterarum tranſlatione, ut præter cæteros puritati ſtuduiſſe videantur, viris eqvíſqve fugiunt voces Eccleſiæ priſcæ uſurpatiſſimas, & idiotiſmos lingvæ ſanctæ ab verſionibus ſuis, qvaſi furcillis, arcent. Non ſatisfacit illis Hebraiſmus hic, *Sermo caro factus eſt*; ſed malunt, qvod tamen minùs exinanitionem Chriſti declarat, *Sermo fuit corporatus.* Itidem eos videre eſt pro baptiſmo ſubſtituere lotionem, pro angelo genium, pro fide confidentiam, pro eccleſia rempub. pro ſynagoga collegium, neqve minùs ineptè in aliis multis, qvæ jure in Caſtalione culpant intelligentiores. Si enim Apoſtoli Hebraiſmos illos in Græcò ſermone reſervant; ſi doctiſſimi Græci Latiníqve Patres formis illis loqvendi à Spiritu S. adhibitis orationem ſuam tanqvam gemmis exornârunt, ſi huc uſqve Eccléſia Græcanicas iſtas voces N. T. retinuit; ſi deniqve inuſitatâ ignotâqve hactenus loqvendi oratione, Eccleſiæ glaucoma ob oculos objicitur: qvid virum illum, qvanqvàm eruditiſſimum, in tranſverſum egit; ut, contra Apoſtoli mandatum, 1. *Timoth. VI.* 20. iſtam, ſive κενοφωνίαν, i. e. *vocum inanitatem*, ut legêre Græca ſcholia, ſive καινοφωνίαν, i. e. *vocum novitatem*, qvomodò legit

 Au-

Auguſtinus, Ambroſius, & vetus interpres, cum ſcandalo in Eccleſiam introductam velit? Præſertim qvando Hebraiſmi illi, ac voces Græcanicæ ἐμφαλικώτεροι ſint, & vim ac majeſtatem qvandam habeant; qvam amittant, cùm ad phraſin aliarum lingvarum recuduntur. Merô enim meridie clarius eſt, qvod ſcribit Jul. Scaliger, *Venere propriâ, quaſiqve nativô cujuſqve lingvæ decôre, foveri ſententias quaſdam, ſubnixáſqve certis idiotiſmi fulturis ſuſtineri: quas in aliam quaſi coloniam ſi deducas, iidem ſanè ſint cives; gratiam priſtinæ commendationis non retinebunt.* Inſignis qvoqve hâc de re locus eſt apud Jamblichum, qvem apud eum reperies in Theologia Phœnicum: aut cui inqvirendi non eſt otium, ex Jamblicho adductum videat apud Hadr. Junium lib. IV. Animadv. c. XXV. Franciſc. Hotomanus, Epiſt. I. p. m. 1. *Sed* Caſtalionis *ita*, inqvit, *ſunt ſtudioſi & amantes pleriqve, ut hôc, quaſi Atlante cœlum, fulciri Religio & Pietas exiſtimetur. Qvid ego Impreſſori Gallicorum Bibliorum de hominis ſtultitia dixerim & interpretationis inepta audacia, aut furore potiùs, ſciunt non pauci. Quúmqve à me nonnulli petiiſſent, ut præfationis ſtultitiam explicarem, Scriptori meo, dictavi hanc admonitiunculam, quam* in

his

his litteris *incluſi*, *ſi facultas ferret*, *maximoperè ſuperem præfationem mutari*, *qva Gallis præſertim aulitis*, *ſi ab eis legatur*, *perridicula videbitur. Calvinus autem nihilô meliùs hìc audit qvàm Lutetiæ. Qvòd ſi qvis aut dejerantem aut laſcivientem coarguat*, *Calviniſtæ contumeliæ cauſâ nominatur.*

LXI. Tempore tertii belli Punici vixit M. CATO Cenſorius, cujus, Pliniô teſte lib. VII. c. XXVIII. tergemina laus fuit, qvòd optimus Orator, optimus Imperator, optimus eſſet Senator; *qvæ mihi omnia*, ſubjicit idem Plinius, *etiamſi non priùs*, *attamen clariùs fulſiſſe in Scipione Æmiliano videntur*, *demptô præterea plurimorum odiô*, *qvô Cato laboravit. Itaqve ſit proprium* Catonis, *qvater & qvadragies cauſſam dixiſſe*, *nec qvemqvam ſæpius poſtulatum*, *& ſemper abſolutum.* Ipſe Cato *Romanus* vulgò *Demoſthenes* dicebatur, ut ait Voſſius in de Rhetorices natura ac conſtitutione libro, c. XIV. p. m. 97.

LXII. Poſtqvàm multa Qv. CATULO Tullius tribuit in Bruto, c. XXXV. præcipuè tamen in eo laudat incorruptum ſermonem, qvæ virtus oratoriis in ornamentis ſubobſcura non eſt, & ſingularem gravitatem; ſi Cauſſino, I. de Eloqventia, c.

 XLIX.

XLIX. p. m. 34. b. credimus (nos enim ibi nondum ea reperimus) ſeqventia e Ciceronis Oratore adducenti: *Qvid jucundius auribus noſtris unqvam accidit, hujus oratione* Catuli? *qva eſt pura ſic, ut Latinè loqvi, pene ſolus videatur: ſic autem gravis, ut in ſingulari dignitate omnis tamen adſit humanitas ac lepos? Qvid multa? iſtum audiens ſic judicare ſoleo, qvidqvid aut addideris, aut mutaveris, aut detraxeris, vitioſius & deterius futurum.*

LXIII. De ſ. CHRYSOSTOMI ſtilo Anianus ad Orontium Epiſcopum, qvi annô CCCC. vixit, ut Sigebertus habet, apud Nic. Cauſinum, lib. XVI. de Eloqventia, c. XXVIII. p. m. 996. a. videtur præclarè judicâſſe, cùm dixit: Chryſoſtomus *illud peculiare cuſtodit ac proprium; qvòd, cùm ſemper ſollicitus ſit, ſemper vigilans, & noxii ſtuporis inimicus, nuſqvàm tamen ejus oratio in pompam elevatur dicentis, ſed tota ad utilitatem aptatur audientis. Eſt enim ſtylus ipſe Eccleſiæ auribus accommodatus; priſcum illud, ſed eruditum, dicendi genus exprimens, medius, æqvalis, maturus, pudicus, alienus ab omni injuriæ culpa pompâqve luxuriæ, non ſqvalidus qvidem, nec tamen floridus, non impolitus, ſed neqve nimiâ ſubtilitate limatus, non aſperitate*

tate

tate horridus, nec tamen amœnitate laſcivus, maximam ubiqve copiam, admirabilémqve indicans facultatem, nuſqvam tamen ambitionem. Eò fit, ut eum magìs ſimplex lector intelligat, & laudet diſertus. Deniqve & S. Baſilii admirabilem illam curam loqvendi, & plauſibilem Antiochi pompam, & ſublimem illum Gregorii cothurnum facilè intelligas, hâc Joannis mediocritate ſuperatâ. Deſiderio Eraſmo, II. Eccleſiaſtæ, p. m. 218. Chryſoſtomi *omnia fere ſcripta ſunt popularia, & ad imperita multitudinis aures animóſqve accommodata. qvamqvàm in hujus viri nomen multa congeſta ſunt, qvæ non referunt illius ingenium. Facile eſt ex eo imitari, qvòd fuſior eſt, qvòd qvædam repetit & inculcat, qvòd crebris percontatiunculis excitat dormitantem auditorem, ſed* Chryſoſtomum *ipſum exprimere neqvaqvam facile eſt.* Andr. Hyperius, III. de Theologo, c. VIII. p. 553. *ex Scriptoribus*, inqvit, *Eccleſiaſticis Chryſoſtomum in amplificationibus & in movendis adfectibus dominari, ac planè regnare (qvod & ſupra p. 400. 540. 740. à nobis dictum eſt) inficiari poteſt nemo. Homilia inſcripta Ad agricolas, & de vitando juramento, amplificationes admodùm elegantes continent. Adfectus verò in reliqvis homiliis, de vitando juramento, & contra diverſa vitia, item in qvibus*

ſolatur Antiochenos timore perculſos, cùm Imperatorem offendiſſent, & paſſim alibi, moventur arte propè inimitabili. Et lib. IV. c. IX. Obſ. IV. p. 700. *Ego Theologiæ candidato primò locò obtruderem ex Patribus Cyprianum, proximè Baſilium, inde Nazianzenum, tum Chryſoſtomum. nam hi populari docendi ratione anteire cunctos putantur. Poſt hos* Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Origenem, *ceteróſqve pro arbitrio legendos commendo & committo.* Idem, l. de formandis concionib. ſacris, c. VI. p. m. 37. edit. Baſil. M. D LXIII. in 8t. *Non minor*, inqvit, *eſt virtus apertè, ſimpliciter & populariter, quàm doctè, argutè & graviter eloqvi. Quam virtutem verè eximiam & raram neceſſe eſt omnes uni præ ceteris Chryſoſtomo inter Græcos concedant, qvem ſanè optárim indeſinenter omnes juniores Concionatores diurnâ nocturnáqve verſarent manu, quinetiam pari felicitate & ubertate, ſi modò fieri poſſit, in lingvam vulgarem transfunderent. Neqve pudere debebat vel eruditos homines doctrinæ Chriſtianæ locos nonnullos, & penè ad verbum, de Chryſoſtomo, qvi non ſine causâ illuſtrem hanc appellationem adeptus eſt, aut aliis, ſi qui forte inveniantur ſimiles, mutuari.* c. XII. n. VIII. p. 73. *Paucas*, inqvit, *invenias apud Chryſoſtomum conciones, in quibus*

bus non ſiant ſimilitudines plures, & qvidem in qvacunqve concionis parte, obviæ. Nec facilè qviſqvam eum in hoc artificio æqvaverit. Et c. ult. p. 115. *Apud Chryſoſtomum autem raras videas conciones, qvibus unum aliqvem locum communem pertractat, atqve vel ad virtutem advocat, vel abducit deterrétqve à vicio, vel de negotio pro temporis ratione oblato diſſerit, qvin in iiſdem acriter moveat adfectus: ac modò qvidem ipſa rerum mole dignitatéqve, modò verò ſingulari, quâ qvàm plurimis ſui ordinis antecit, eloqventiâ, ac dicendi gratiâ. Legatur inprimis Tomi qvinti Homilia viceſima de epiſcopi Flaviani reditu, qvi miſſus fuerat ad placandum Imperatorem, ubi epiſcopum ſenem & venerandum introducit incredibili ſtudiô utqve orationis ſuavitate flectentem principis irati animum ad miſericordiam. Tomô eodem concio, qvam habuit, cùm de expulſione ipſius conſultabatur, brevis qvidem illa, ſed ad amorem ac dilectionem excitandam, cùm rebus tum verbis optimè inſtructa. Legantur deniqve conciones, dicta adverſus execrandam ac deteſtabilem conſvetudinem pejerandi, adverſus iram, adverſus invidiam, obtrectationem, calumniam, luxuriam, avaritiam, cæteraqve ejuſdem generis.* Perſpicuitas Chryſoſtomi a Cauſſino, II. de Eloqventia c. XXVIII. p.

 133.

133. a. his verbis celebrata legitur: *Pleriqve magnâ ſunt felicitate præditi, qvi res alioqvi per ſe arduas & impeditas tam enucleatè diſtingvunt, ut palmas (f. palam) cuiqve vel mediocriter erudito faciant. Hoc eſt dicere rara communiter, & communia rariter; qvod Dei donum in D. Joanne Chryſoſtomo luculentiſſimum ſemper exſtitit. Qvippe vir ille leniſſimis moribus, & ſummâ ingenii facilitate, cùm à puero omni elegantiori litteraturâ perpolitus, & in Theologicis feliciſſimè verſatus eſſet, recondita ſacrarum litterarum myſteria multis, ut ſolent, difficultatum nodis implicata, tam explicatè diſſolvit, tantâ ſententiarum & verborum perſpicuitate illuſtrat, ut lucis radios, cum verbis ipſis in mentes ſpargere videatur.* Ceterùm naturâ fuit iracundior & *faſtuoſior*, ut David Chytræus in f. m. 109. b. Onomaſtici Theologici loqvitur, *& liberioris linguæ*, Nicolao Vedelio, c. III. Prolegom. in libros de Prudentia veteris Eccleſiæ, p. m. 13. *æqvô rigidior, nonnunqvàm & inflexibilis, ſicqve imprudentior; adeò ut aliqvando, cùm ipſi ſimultas cum Severiano, alio Epiſcopo, intercederet, qvam extinctam Imperatrix Eudoxia cupiebat, vix ab ea flecti ad veniam dandam Severiano potuerit, qvamvis illa filiolum ſuum Theodoſium, jam tum Imperatorem & collegam*

Pa-

Patris, ad genua ejus abjiceret, & multis modis ipſum adjuraret. Qvibus etiam nævis ipſius abuſi æmuli & inimici, in non vulgares calamitates eum conjecêre. Siſinnius contrà placidior, moderatior, frigidior, qvod ajunt, & ſic prudentior fuit. Cui cùm Chryſoſtomus aliqvando iratus diceret: urbem Conſtantinopolitanam non poſſe duos Epiſcopos habere; reſpondit Siſinnius nihil commotus: nec etiam habet. *Magìs tunc commotus Chryſoſtomus inqvit,* video te ſolum velle eſſe Epiſcopum. *Ibi alter:* non hoc dico, ſed qvòd tibi ſoli non ſim Epiſcopus, cùm aliis ſim. *Chryſoſtomus hôc reſponsô rurſus ad iram commotus:* ἀλλ᾽ ἐγώ σε ἔφη, παύσω προσομιλεῖν· αἱρετικὸς γὰρ ὑπάρχεις. at ego efficiam, ut non amplius tibi concionari liceat, nam Hæreticus es. *Ad has minas atqve ad hoc convitium* (ſi) *alius fortè æqvè ferventis ingenii, atqve S. Chryſoſtomus, fuiſſet, in qvas viciſſim minas, aut ſaltem, in qvæ convitia erupiſſet? At Siſinnius* πρὸς τοῦτο χαριέντως ὑπολώτησεν· ἀλλ᾽ ἐγώ, ἔφη, καὶ μισθοὺς παρέξω, εἴ με τηλικούτου καμάτου ἀπαλλάξειας. placidè ac facetè reſpondet: Ego verò tibi etiam mercedem dabo, ſi me tantô onere liberaveris. *Socrat. lib. VI. c. XX.* m. *XXII. Vide nunc fructum reſponſi hujus. Chryſoſtomus, cujus ut Epiſcopi Conſtantinopolitani &*

vi-

viri ſummi ſumma auctoritas erat, multum moleſtiarum faceſſere potuiſſet Siſinnio. Sed contra evenit, nam Chryſoſtomus διαμαλαχθεὶς ἐκ τῆς ἀποκρίσεως· ἀλλ' οὐκ ἄν σε, ἔφη, παύσω τοῦ προσομιλεῖν ἐγὼ, εἴ σε ὅλως τὸ λέγειν λυπεῖ. mitigatus hôc reſponſô; qvandoqvidem video moleſtum tibi eſſe concionari, nolo te impedire, qvominus in concionando pergas. *Adeò in poſterum nihil moleſtiarum amplius exhibuit Siſinnio: qvi etiam omnibus non ſuæ ſolùm ſectæ hominibus, ſed etiam Orthodoxis populis, Epiſcopis, Imperatoribus ob ingenii placiditatem & ſimiles virtutes gratus fuit: cùm contrà Chryſoſtomus Imperatorem, Imperatricem, principes alioqvi pios, nec non Epiſcopos complures ſibi adverſarios partim ſuâ partim ipſorum culpâ habuerit. Qvis non videt igitur Siſinnii potiùs moderatum & ſedatum animum, qvàm iracundiam Chryſoſtomi imitandam eſſe?* Eâ ſanè multorum in acerbiſſimas offenſiones incidit; declamitans contra Eudoxiam Auguſtam Imperatoris juſſu in exilium actus eſt, ſed populus motâ ſeditione obtinuit, ut qvam primùm revocaretur. Poſtea rurſum ejectus & in Armeniam relegatus eſt, ibíqve diem obiit ſupremum. *Non diſputo*, inqvit b. D. Hulſemann, ſolidiſſimi judicii Theologus, in Diſſertatione de Corre-

reptione fraterna, n. 282. p. m. 300. extr. edita Lipſiæ M. DC LI. in 4to, *de meritis Eudoxiæ* Auguſtæ, qvòd *Chryſoſtomus eam ingreſſu templi prohibuit, ideò*, qvòd haut procul à templo, Sophiæ nomine dicto, *nec tamen in loco contiguo*, ſaltationes & ludos publicos exhiberi pro more pateretur: *cùm Chryſoſtomus tamen nec Imperatricem ipſam privatim*, nec proceres qvoſdam, ut ludô illô abſtinerent, flectere ſtuduiſſet, *uti Socrates ait lib. VI. c. XVIII. Saltem intempeſtivè egiſſe, & majori cum damno Eccleſiæ, ſpacium & locum diſſeminandi dogmata ſua, & occupandi principum animos Arianis in manus tradidiſſe, qvum ſibi exilium hôc factô paráſſet, in comperto eſt. Ipſo etiam* Theodoretô *teſte*, lib. V. c. XVII. & Sozomenô, lib. VIII. c. XX. ſeqq. Auctore Socrate, VI. Hiſtor. Eccl. c. III. extr. Chryſoſtomus ἦν ἄνθρωπος, ὥς φασι, διὰ ζῆλον σωφροσύνης πικρότερος, καὶ πλέον, ὡς ἔφη τις τῶν οἰκειοτάτων αὐτῷ, ἐκ νέας ἡλικίας θυμῷ μᾶλλον ἢ αἰδοῖ ἐχαρίζετο· καὶ διὰ μὲν ὀρθότητα βίου, οὐκ ἀσφαλὴς πρὸς τὸ μέλλοντα· δι' ἁπλότητα δὲ εὐχερής· ἐλευθεροστομίᾳ τε πρὸς τοὺς ἐντυγχάνοντας ἀμέτρως ἐκέχρητο. καὶ ἐν μὲν τῷ διδάσκειν, πολὺς ἦν ὠφελῆσαι τὰ τῶν ἀκουόντων ἤθη· ἐν δὲ ταῖς συγτυχίαις, ἀλαζονικὸς τοῖς ἀγνοοῦσιν αὐτὸν ἐνομίζετο. i. e. *fuit*, *ut*

ut ferunt, ob nimium temperantiæ ſtudium acerbior; & ſicut ajebat qvidam, qvi cum illo ab ineunte ætate familiariter vixerat, iræ magis deditus qvàm verecundiæ. Et ob vitæ qvidem ſanctimoniam incautus adverſus futura: ob ſimplicitatem verò apertus & facilis. Immodicâ etiam loqvendi libertate erga omnes utebatur. Et in docendo qvidem id præcipuè ſpectabat, ut mores audientium emendaret. In congreſſibus verò arrogantior videbatur iis, qvi mores ipſius ignorabant. Vide tamen & Andr. Hyperii Tom. I. varior. Opuſculor. p. m. 132. ſ. edit. Baſil. 1570. in 8t.

LXIV. *Si qvis me conſulat*, ait Deſider. Eraſmus, II. Eccleſiaſtæ, p. m. 217. extr. *ex doctoribus prophanis, qvorum libri potiſſimùm ſint evolvendi futuro concionatori, nullus eſt, qvem* Demoſtheni *ac* CICERONI *præferamus, vix etiam qvem conferamus, ſanè qvod attinet ad dictionis virtutes. Eſt* tamen & *in Cicerone*, ut idem Eraſmus in Ciceroniano, p. m. 344. edit. opt. Baſil. M. D XXVIII. in 8t. habet, *felix qvædam facilitas, naturæ donum: eſt nativa perſpicuitas. Hoc ſi nobis natura negavit, qvur nos ipſos fruſtra diſcruciamus?* Idem, p. m. 249. Ciceroniani: *nemo negat*, inqvit, *Ciceronem in jocando fuiſſe multum, alii nimium prædicant, tum intempeſtivum,*

vum, & ſcurrilitati proximum. Certè modum illi deſuiſſe, qvemadmodùm Demoſtheni facultatem, doctorum ferè conſenſus fuit: nec admodùm repugnat Qvintilianus, culpam in Tyronem conferens, qvi nimium indulſerit numero dictorum, ac plus in congerendis ſtudii, qvàm in eligendis judicii adhibuerit. Verum hæc Tyronis accuſatio in patronum recidit. Ipſa Fabii verba laudat & Dan. Georg. Morhof. I. Polyhiſtoris c. XVI. p. m. 186. his præmiſſis: *Malè profectò de virorum illuſtrium fama merentur, qvi omnia eorum dicta factáqve ſine ullo delectu in publicum protrudunt, ut fecit Colomeſius in Opuſculis ſuis Literariis; ubi habentur qvædam relationes Gallicæ de variis doctorum rebus & inſtitutis ſecretioribus, minimè propalandæ. Qvintilianus jam olim, lib. VI. c. III.* (al. IV.) *eos reprehendebat, qvi de jocis Ciceronis tres libros collegerant, inqve iis qvædam frigidiuſcula retulerant, qvæ tantum virum non decebant.* Utinam, *inqvit*, Qvintus, & libertus ejus Tyro, aut alius, qviſqvis fuit, qvi hos (*tres*) hac de re libros edidit, parciùs dictorum numero indulſiſſent, & plus judicii in eligendis, qvàm in congerendis ſtudii adhibuiſſent. Minùs objectus calumniantibus foret. Colomeſii Opuſcula Ultrajecti M. DC LXIX. in 12.

edi-

edita, miror tam longô tempore ſine emtoribus uſqve adeô jacuiſſe, ut novum titulum ante duos vel tres annos Bibliopolæ illis præfigere neceſſe fuerit. Locus, in qvo tractantur joci Ciceronis lib. II. de Oratore ab Adr. Turnebo explicatus exiit Pariſiis M. D LV. in 4to. Qvia Statilii Maximi de SINGULARIBUS apud Ciceronem poſitis a Soſipatro Chariſio, lib. II. Inſtitutionum Grammatic. col. m. 175. & 194. extr. edit. Hanov. M. DC V. in 4to laudati periêrunt libri, contenti debemus iis eſſe, qvæ adtulit Andr. Schottus, III. Nodor. Ciceron. c. XVII. p. m. 363. ſ. lib. I. Tullianar. Qvæſtion. c. XXII. p. m. 63. & Edmundus Campianus, c. V. Tractatus de Imitatione Rhetorica, p. m. 447. ſ. editi Antverp. M. DC XXXI. in 12. qvem & demtô principiô capitis I. ſecundo ſuo Tullianar. QQ. inſeruit dictus libro Schottus, p. m. 129. ſ. edit. Antverp. M. DC X. in 8t. Ariſtoteles & Cicero videntur omnium optimè Characteres ſive formas expreſſiſſe dicendi; enimverò hoc de Eloqventiæ Romanæ facilè principe, apud antiqvos ac recentiores, tam plena elogiorum ſunt omnia, *ut actum videar acturus*, inqvit Ger. Job. Voſſius, c. XIV. extr. libri de Rhetoricæ natura,

tura, p. m. 103. princ. *ſi in ejus laudes excurram, qvem nemo ſanus vituperat; laudant verò, atqve admirantur, & ſtupent, qvicunqve ipſam eloqventiam amant; adeò, ut jam Cicero, non eloqvens, ſed eloqventiæ ipſius nomen videatur.* Præter limatam perſpicuitatem, elegantiam, dexteritatem, etiam Narrationibus, qvas Cicero & Demoſthenes valde puras, ſubtiles atqve perlucidas habent, aliqvos iſte inprimit aculeos, qvibus ſine ullo epiphonemate aut exaggeratione, poſſit motus elicere. *Eſt enim*, repeto verba Nicol. Cauſſini, lib. I. de Eloqventia, c. LXV. p. m. 61. a. *admirabilis imaginum artifex, in qvibus magnam eloqventiæ partem ſitam, atqve collocatam arbitror. Atqve ut erat ipſe* φαντασιώδης & διορθώσης φύσεως: *ita res concipit, ut ſunt; ita exprimit, ut concepit; ita incendit, ut ipſemet eſt incenſus & flagrans: maximè verò ubi res crudeles & funeſtas exaggerat, intimos ſenſus tam vehementer percellit, ut ipſi, qvi legunt, aut audiunt, non audire & legere, ſed planè intereſſe cauſſa videantur. Talia ſunt iſta Philipp. XI. c. III. de morte Tribonii, qvem diu excruciatum Dolabella necaverat.*

LXV. CLAUDIANUM laudat C. Barthius in Animadverſionib. in IV. Conſulat.

Honorii v. 99. p. m. 571. a. edit. Francoſ. M. DC L. in 4to, qvòd *fungitur primò ſpecialiqve Poëta officiò iſthic* Claudianus, *eos, qvi tum vixerunt, qviqve victuri poſteà, illuſtraturus exemplis ad virtutis pietatiſqve cultum. qvò qvi pertinere atqve collimare univerſam hujus præclariſſimi ſcriptoris Poëſin non videt, ipſum nullâ paginâ ſolidè intellexit. Laudes Heroum ad cultum juſtitiæ & DEI, vituperia Nebulonum ſpectant ad perſvadendam fugam vitiorum.* Ceterùm Claudianus, ut rectè monet Emanuel Theſaurus in c. IV. Ideæ argutæ & ingenioſæ dictionis, p. m. 182. editæ Francoſ. M. DC XCVIII. in 4to, *adeò dulcis eſt & harmonicus, ut, ſi Muſæ loqverentur, vix ſvaviùs loqvi poſſent; & cùm ægrè in Virgilio verſus occurrat ſine ſynalœphe, ducentos ordine in* Claudiano *leges, prius qvam in ullam incidas.*

LXVI. In pagina præcedente eidem ibidem Barthio CLEMENS Alexandrinus *omnium, qvi contra Gentes, ex eorum* (f. earum) *doctrina & lectione inſtructi, pugnârunt, auctorum longô intervallô præclariſſimus* eſt. *Hunc Patrem*, ſcribit Ellies Dupin, Tom. I. Novæ Bibliothecæ Auctorum Eccleſiaſtic. p. m. 131. edit. Pariſ. M. DC LXXXXII. in 4to, *ceteros ſcientiâ ſuperâſſe, aſſerere non du-*

dubitat Hieronymus, & verum eſt, omnium antiqvorum nullius libros tantâ eruditione profanâ refertos eſſe: in ea qvoqve nimius eſt pro Scriptore Chriſtiano, & negari neqvit, qvin magis fuerit Philoſophus, qvàm Theologus, licèt noſtram non ignoraverit Religionem, & Scripturam Sacram calleret ad ungvem. At in moribus, qvàm Dogmate multò acrior eſt, & cuncta ferè, qvæ citat loca, ad Philonis Judæi imitationem, allegoricè explicat. Sine ordine & ſerie ferè ſemper ſcribit. Incomtus eſt valdè ſtylus ejus, qvod inprimis in ejus advertitur Stromatibus. Nam in ſua ad Ethnicos exhortatione, & Pædagogo elegantior eſt ejus oratio, ut à Photio obſervatum eſt, & vel certâ qvâdam fulcitur gravitate, qvæ lepore non caret. Vide laudati Barthii Animadverſiones in Zachariæ Scholaſtici Chriſtiani de Opificio mundi Dialogum, p. m. 261. b. 277. b. edit. Lipſiæ M. DC LV. in 4to. Idem, Tom. III. Animadverſion. ad Statii VI. Thebaid. v. 14. p. m. 348. Clemente Alexandrinô, inqvit, *doctior nemo unqvam, ne apud Græcos qvidem ſcriptor fuit, verus ille Varro Chriſtianæ antiqvitatis.* Magdeburgenſes Theologi, Centur. II. c. XX. *maximæ eruditionis, zeli facundiæ, ac proinde etiam auctoritatis* hominem, Clementem habent. Sine dubio Græ-

corum Patrum doctiſſimus eſt. Thomas Reineſius, I. Variar. Lection. c. XXII. p. m. 93. *in* Clementis *lectione multis argumentis didicit, eum* Diogenis Laertii φιλόσοφον ἱςορίαν *diligenter evolviſſe, vel iiſdem, qvibus iſte auctoribus, uſum fuiſſe, ut erat ſecularis litteraturæ helluo, & inter ſophiſtarum paganorum nobiliſſimos ob ſummam in profanis litteris doctrinam nominandus.* An Dan. Heinſii editio Clementis operum tam accurata ſit, tantúmqve exhibeat, ut multô plura ſibi ex iterata cura polliceri potuerit idem Reineſius ibidem, p. m. 92. alibi fortè dicam. Hic addo verba Reineſii: *Si a Dan. Heinſio viro planè incomparabili, & ad juvandas litteras peritiâ incredibili & ingeniô admirabili iterata editio* Clementis Alexandrini, *ſcriptoris ſuô ſeculô omnium doctiſſimi, (penu enim eruditionis & ſcientiarum adpellant* οἱ μεμυημένοι) *qvam recepit & cujus deſiderio hactenus intabuimus, extaret, nihil his noſtris opus fuiſſet; ex illa enim meliora & certiora peti potuiſſent, opus* ἀντίχρυσον *tot mendis non eſſet etiamnum contaminatum & interpretis Latini* G. Herveti *verſione haberemus perſpicuam magis, eruditiorem & ſinceriorem. Nunc cùm is eam nondum dederit, & ſcriptori tamen optimo melius eſſe conveniat,* ἄλλην δρῦν βαλανίζωμεν, *& ſpi-*

ſpicilegium, qvod reliqviſſe profitetur, exeqvamur; non deſituri interim flagellare in eo τῷ ὑπερήμερον (f. ὑπερημέρῳ) & immemori moroſóqve reliqvatori vel θηροκοπικὸν facere: Ἔξεχε, ὦ φίλε Ἥλιε. Sanè qvâm multa in ſuo olim, nunc meo, exemplo Lutet. M. DC XXIX. in fol. David Blondellus emendârit manu, video.

LXVII. COELIUS Aurelianus Medicus *Methodicus doctiſſimus; ſed ſtilô difficili ſcriptor* eſt Barthio, lib. XLVIII. Adverſarior. c. XIX. col. m. 2274. extr. edit. Francof. M. DC XXIV. (exemplo meo, neſcio qvis? adſcripſit: *ibidem M. DC XLVIII. q. an auctus?* mihi iſta incognita eſt editio Adverſariorum Barthii) in fol.

LXVIII. CORNELIUS NEPOS, auctore Joh. Rauen Berlinenſi, Academ. Erfurt. principiô Eloqventiæ & Hiſtoriar. Profeſſore, pòſt Bibliothecariô Elector. Brandenb. in Diſſertatione Cornelio Nepoti Hamb. 1648. in 12. ab ipſo edito & curato præfixa, p. m. 97. §. *666.* (nam 697. vitium typographi eſt, qvi omiſit etiam §. 659.) *gravitatem in rebus potiùs, qvàm in verbis oſtendit; qva tamen ipſâ ſimplicitate magnifica eſſe perfecit. Et qvoniam impetu non fertur, ſed lenis eſt, hôc magìs adoleſcentiæ conducit, qvia ducere eam, trahere non opus eſt.*

Nihil autem in ſcriptore iſto reperiatur, qvod non plenum humanitatis, & honorum (f. bonorum) *ſtudii, rectos mores & ſimplices, veterúmqve innocentiam præ ſe ferat. Qvapropter dictione qvoqve non eſt alius. Et, ſi verum dicere velimus, ſolus Latinorum expreſſiſſe Lyſiam videtur, qvantum hoc ſcribendi genus permiſit. Tam purus in ſermone caſtúſqve, ut non æqvè alius apud Romanos. Vitas qvidem, ſed eò*, ut prudenter in libro Commentar. de Excellentib. viris à Nepote memoratis, p. m. 10. advertit Joh. Henr. Boeclerus, *compoſuit opere, ut pleraqve ad civilem ſcientiam accommodaret; nihilqve ferme ſibi omittendum duceret, qvod ad exprimendam pragmaticam gravitatem pertineret. Qvamqvàm autem temperatiſsimæ moderationis Auctor, abſtinere illâ orationum ſplendidiore curâ, deſcriptionúmqve productiore ambitu conſtituiſſet: qvæcunqve tamen ad ingenium, diſciplinam, privatam conſvetudinem pertinent, breviter ac veluti unâ congeſtione abſolvit; cetera actionibus publicis earúmqve rationibus bonâ fide accommodat. Ipſa enim orationis tela, primore adſpectu elegantiam inſtituere, in receſſu meram texere prudentiam deprehenditur, adeò omnibus qvaſi filis ad ea porrigitur, qvæ privatos etiam ad privatô majora perducunt: civiqve id conciliant, qvô æſtima-*

ſtimari ſolo civis poteſt; civitatis ſuæ diſciplinam.

LXIX. Exilis in CTESIÆ ſcriptis character reperitur, & iteratio ejuſdem rei freqvens, tantò tamen inſtituta judiciò, ut nihil horum ferè ſit, qvod tolli poſſit, qvin ſimul pereat qvoqve evidentia & perſpicuitas; qvam Græci ἐνάργειαν vocant.

LXX. In Latinis Patribus maximam habet dicendi gravitatem ſ. CYPRIANUS, Epiſcopus Carthaginienſis, pietate, doctrinâ, eloqventiâ & martyrii gloriâ clarus; miſſis tandem mollioribus, qvi in nonnullis ejus obſervari poſſunt ſcriptis, cincinnis, omnes dicendi veneres abjeciſſe, totúmqve ſe ad ſeverius dicendi contuliſſe videtur genus. Lactantius in primo qvinti libri c. *Erat*, inqvit, *ingeniô facili, copioſô, ſuavi, & (qvæ ſermonis maxima eſt virtus) apertô; ut diſcernere neqveas, utrúmne ornatior in eloqvendo, an facilior in explicando, an potentior in perſvadendo fuerit.* Enimverò, ſi Lactantium excipias, omnibus Latinis ſcriptoribus Eccleſiaſticis puræ ac diſertæ verámqve pietatem atqve fervorem ardentem ſpirantis ubiqve & aculeos in animis legentium relinqventis orationis facultate antecellit, ut diſcernere neqveas, utrum or-

ornatior in loqvendo, an facilior in explicando, an potentior in movendo, & perſvadendo qviſqvam fuerit? Vide Davidis Chytræi Onomaſticon Theologicum, f. 123. b. *Fatendum tamen eſt*, auctore L. Ellies Dupin, Tom. I. Novæ Bibliothecæ, p.m. 270. *etiamſi ſermonem ſuum apertum & purum* Cyprianus *reddere conatus ſit, aliqvid tamen de genio Africano retinuiſſe, nonnulláqve verba dura adhibuiſſe*; qvæ refert idem Dupin, p. 278. b. Eraſmo, II. Eccleſiaſtæ, p. m. 219. Cyprianus *utilior Hilariô* eſt, *apertus, vehemens, & ſerius, nec infeliciter fluens.*

LXXI. CURTIUS ita dilucidè narrat, ut amnem ſine ſalebris fluere credas, & tantis præterea veneribus orationem perfundit, ut non mediocriter lectores & amatores ſuos oblectet. Conciones autem habet tàm argutas & ſvaves, ut Herodotô & Xenophonte nihilô videatur inferior, ſi Cauſſino credimus, III. de Eloqventia, c. XIV. p. 172. b.

LXXII. Principiò b. D. Joh. Conr. DANNHAWERUS, Rhetorica, Poëtica, ceteráqve pertinentia ad humanitatem ſtudia publicè docuit non ſine ſucceſſu, pòſt Theologiam ſacram, ad qvam iſta eum adtu-

tuliſſe, qvamplurima ejus teſtantur ſcripta; in qvibus qvi inventionem, diſpoſitionem & ſtilum Poeticum, Comicum & Dramaticum non videt, nihil his de elegantiis ſcit. Nullum ex omnibus noſtris ſcio Theologum, in qvo tam profundam interiorum litterarum eruditionem & notitiam obſervaverim, qvàm Dannhawerum; *non aures permulcebat*, ſcribit in Exſeqviali programmate D. Jac. Schallerus harum elegantiarum non imprudens, *blandiori ſonô, ſed habebat ſtylus ſuæ majeſtatis pondus, &, qvod Pytheas de Demoſthenicis dixit Orationibus*, lucernam olebat, *plus indigitavit, qvàm dicebat. Sanè difficile eſt, abſtruſas res fidei politiori dicendi genere proponere, &* Latium Latiô deſtruere eloqviô: *difficile, inqvam, ſed utilius, qvia arctiùs ſedent, qvæ cum ſvavitate ſimul imbibuntur, qvàm ſi barbaris & e Scholaſticorum cacatis chartis petitis phraſibus Lectori tædium creatur. At qvid de Poëſi dicam? non ſcripſit* Communi carmen triviale monetâ. *Qvoties lego acutos Jambos, dulces Elegos, Dramata, & alia, exclamo*

—— noſtro decedite Vati,
Vatum ſecla vetuſta, & ſecla noviſſima vatum.
Par ille antiqvis, major & ille novis.

LXXIII. Martinus Antonius DELRIUS Jeſuita *inter alia virtutum decora*, ſi Jeremiæ Drexelio Jeſuitæ, part. I. Aurifodinæ, c. V. p. m. 44. ſ. edit. Antverp. 1641. in 12. credimus: *hoc ſibi proprium habuit: nihil vafrè aut ſubdolè moliri; non per cuniculos inſidiari, non per vineas oppugnare; non palàm blandiri, clàm detrahere (quæ peſtilentiſſima hujus ævi lues eſt) idem lingvâ promptum, quod animô meditatum, habere. Ita qui cum eo verſabantur, nullas cæcas cogitationum foveas metuebant, nullos laqveos; omnibus ſacris & religionibus confirmatum cenſebant, quod ab eo dicebatur. Qua de cauſſa Lipſius hominem eum vocat, cui non mentiri ſolùm nefas eſt, ſed & blandiri. Fruſtra ad eum deferebatur, ſi quis abſenti encomium diceret, ſi quis convicium; niſi ratione dictum animadverteret. Tum verò reprehendentibus ne minimùm quidem obluctabatur; in nulla excuſationum dumeta correpebat: ex hoſtibus etiam capiebat fructum, ex venenis parabat antidotum. In omnibus rationem ducem ſeqvebatur, cetera ſúſque déqve habebat. Submiſſio in eo maxima. Unum id præ reliqvis domeſtici ſtupebant omnes, tantum virum oculis caligantibus & panè cæcutientibus, gnaviter & promtô libentíqve animô, dum alii menſæ aſſiderent, ſtantem aut in loco anagnoſtæ ſolito in-*

com-

commodè ſedentem, librum aliqvem pium de more prælegere, & ad alterius arbitrium accentus & tonos vel invertere, vel dirigere. Qvod qvidem qvanti ſit, nôrunt illi præſertim, qvi in Religioſis familiis degunt, & hujuſmodi ſe exercitiis ſubigunt. Atqve hæc vita fuit Delrii, inter libros, dum viveret ſepulti. At enim, ſi Oporinum Grubinium in p. 11. Amphotidum Scioppianar. edit. Pariſ. CIↃ IↃC XI. in 8t. audimus, laudatus del-Rio, *qvô in omni diſciplinarum genere præſtantiorem noſtra non habuit ætas*, a Joſepho *Scaligero*, *f.* 50. *Scalig. Hypob. vocatur ſtercus Diaboli, lutum ſtercore maceratum, ſterqvilinium, retrimentum, inſcitiæ κάθαρμα, pecus, canis, aſinus, ſcarabæus, propudium, poſtrema beſtiarum, dæmoniacus, Antichriſtus, hoc eſt, niſi fallor, Antichriſtianus, qvemadmodùm Chriſtianos qvoqve dicere Chriſtos licet.* Sed ex ipſis fortè Pontificiis fuêre non pauci, qvod Vitæ Jeſuitæ illius ſcriptor teſtatur, qvi *ferreum ſcriptorem* & *ferruminatorem* dicerent Del-Rio; certè Florida ejus Mariana, non floridô eſſe ſtilô, ſed pingvi Minervâ ſcripta, nec ipſi adverſarii negare poſſunt. Tu vide Maximilian. Sandæum, Jeſuitam, Herbipolitan. Profeſſorem, Commentat. XII. Grammatici Profani, §. IX. p. m. 437.

437. ſ. edit. Herbipol. M. DC XXI. in 4to.

LXXIV. Inter veteres Atticos Oratores numeratur DEMADES, *qvi primus*; ut arbitratur Cauſſinus, l. de Eloqventia, c. XXXIV. p.m. 26. b. *ex nauta factus eſt Orator; ex qvo & nauticos ſales in forum tranſtulit.* Ut notat Cicero in Oratore, c. XXVI. *Qvidqvid eſt ſalſum, aut ſalubre in Oratione, id proprium Atticorum eſt.. e qvibus tamen non omnes faceti. Lyſias ſatis, & Hyperides: Demades præter ceteros fertur.* Obiter nota in Indice edit. Ciceron. Lugdun. Batav. M. DC XCII. in 4to, vocib. *Demades præter ceteros facetus*, malè addi, *Or.* 2, 26. nam deleri debet 2. Sed qvia Demadis exſtant nulla, ut habet Cicero in Bruto, c. IX. propriè huc non pertinet; qvamqvàm Ger. Joh. Voſſius, c. XI. libri de Rhetorices natura, p.m. 82. adfirmet, Orationem Demadis περὶ δωδεκαετίας, licèt ſolam, exſtare. Do verba Voſſii: *Demades qvidem, teſte Suidâ, ex nauta factus fuit orator; ex qvo & nauticos ſales in forum tranſtulit; ut Cicero ait in Oratore. Atticâ ejus ſvavitate tantoperè afficiebatur Philippus, ut non ipſum tantùm, ſed etiam bis mille Athenienſes, præliô ad Chæroneam (in qvo & Demoſthenes, abjectô clypeô,* fu-

fugit) à ſe captos, gratis Athenas manumiſerit: ut Diodorus, & Plutarchus ſunt auctores: ac ſuper iſtoc gloriatur Demades ipſe oratione περὶ δωδεκαετίας, *qvæ ſola exſtat.* Locus Ciceronis ex Oratore, utriqve & Cauſſino & Voſſio laudatus, effugit meam diligentiam; qvare & poſt verbum, *tranſtulit*, paullò antè in Cauſſini verbis punctum poſui, hâc fini, ut ſeqventia verba: *ut notat Cicero*: non ad antecedentia in Cauſſino, ſed ſubſeqventia: *Ex Atticis non omnes &c.* referantur. A Suida Demades πανοῦργος & ἀτυχὴς dicitur, qvòd Athenienſium Rempublicam Philippo magnâ mercede prodiderit. At in dicta Oratione περὶ δωδεκαετίας ſatis graviter ſe excuſans, ait, τὸ περιμάχητον, καὶ θαυμαζόμενον ὑπὸ πάντων ἄστυ, βοῶν καὶ προβάτων ὥσπερ ἔπαυλις, καὶ τῶν βοσκημάτων ἐπληροῦτο, βοηθείας ἧς οὐδαμόθεν ἦν ἐλπίς· ἔγραψα τοίνυν εἰρήνην, ὁμολογῶ καὶ φημὶ, καλῶς καὶ συμφερόντως πεπραχέναι τοῦτο· Κρεῖττον γὰρ ἐπερχόμενον ἐκκλῖναι τὸ νέφος, ἢ φερομένῳ συναπενεχθῆναι τῷ ῥεύματι. Qvod ultimum etiam acutum: Satius eſſe imminentem declinare nubem, qvàm rapidô torrente abripi. Liberum hoc captivi etiámnum dictum fertur adverſus Philippum, cùm is inter comeſſandum, captivorum miſeriæ petulanter illuderet: βα-

σιλεῦ, τῆς τύχης σοι περιληθείσης πρόσωπον Ἀγαμέμνονος, αὐτὸς οὐκ αἰσχύνῃ πράττειν ἔργα Θερσίτου; *Cùm, ô rex, tibi fortuna Agamemnonis tribuerit perſonam, non pudet facere digna Therſite?* Qvô rex permotus, coronam capitis depoſuit, & modeſtiùs ſe geſſit. Qvàm verò avarus fuerit, indicat dictum Antipatri Macedonum ducis de Phocione & Demade hoc, duos ſe Athenis habere amicos, qvorum uni ut accipere aliqvid vellet, perſvadere nunqvam poſſet, alterum verò dando nunqvam poſſet ſatiare. Auctor Plutarchus in Phocione, Tom. I. Oper. p. 755. b. & ex eo Photius bibliothecæ ſuæ c. CCXLV. p. m. 1195. extr. edit. Rothomag. M. DC LIII.

LXXV. DEMETRIUS Phalereus *primus*, auctore Tulliô in Bruto, c. IX. *inflexit orationem, & eam mollem teneràmqve reddidit: & ſvavis, ſicut fuit, videri maluit, qvàm gravis: ſed ſvavitate eâ, qvâ perfunderet animos, non qvâ perfringeret: & tantùm, ut memoriam concinnitatis ſuæ, non (qvemadmodùm de Pericle ſcripſit Eupolis) cum delectatione aculeos etiam relinqveret in animis eorum, a qvibus eſſet auditus.* Diſtingvendum hunc Demetrium Phalereum, ab illo nobili Oratore Demetrio, cujus egregium περὶ ἑρμη-

μηνείας, i. e. *de interpretatione*, Commentariolum habemus, contendit Ger. Joh. Voſſius in Oratoriis, lib. VI. c. II. Sect. II. p. m. 433. ſ. exiſtimans poſteriorem illum eſſe Demetrium, qvem Rhetorem Alexandrinum adpellat Diogenes Laërtius, lib. V. c. LXXXIV. ubi Demetrios viginti enumerans, ait: ὄγδοος, ὁ διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ σοφιστὴς, τέχνας γεγραφὼς ῥητορικάς. i. e. *Octavus, Sophiſta, qvi moratus Alexandriæ, artes Oratorias ſcripſit.* Adde tamen & Joan. Caſelium, Tom. II. Operum, p. m. 70. 76. edit. Francof. M. DC XXXIII. in 8t.

LXXVI. DEMOSTHENES μόνος τῶν ῥητόρων ἔμψυχον οὐ σφυρήλατον παρεῖχε τὸν λόγον; i. e. *ſolus Oratorum habuit animatam non malleô fabricatam orationem.* Erat auſterioris ingenii, Argas (ſeri ſerpentis nomen eſt) dictus, ubiqve fermè adhibens cauterium, & omnes promiſcuè qvadam amarulentâ dicacitate & ſarcaſmis ſugillans. Nam ſingularis in invehendo eſt, etſi non minor Cicero, *qvamqvàm ille validiùs*, qvod Cauſſinus putat in II. de Eloqventia, c. XXXI. p. 136. b. *amentatum lingvæ telum intorqvere videtur: hic ἐν χύσει laxior, ut ſolet, & amplior.* Eodem auctore, lib. II. c. XIV. p. m.

m. 167. b. *Demoſthenes, qvô nec gravior uſqvam, nec temperatior; vim, judicium, lacertos, temperiem largietur.* Tantus in adfectibus Poëtarum imitator fuit, ut illi etiam interdum verſus graves & iracundi exciderent; qvod ille ipſe Cauſſinus obſervat in VIII. c. XXVII. p. 510. a. ibidem, *Nam in hoc eloqventiæ vis eſt*, inqvit Fabius, Inſtitutione VI. c. III. al. II. p. m. 460. edit. Lugdun. Bat. 1665. in 8t. *ut judicem non ad id tantùm impellat, in qvod ipsâ rei naturâ duceretur: ſed aut qvi non eſt, aut majorem qvàm eſt, faciat adfectum. Hæc eſt illa, qvæ* δείνωσις *vocatur, rebus indignis, aſperis, invidioſis addens vim oratio: qvâ virtute præter alios, plurimùm Demoſthenes valuit.*

LXXVII. Chriſtophorum DIBUADIUM *omnium noſtrâ memoriâ certiſſimè per Euclidem demonſtraviſſe*, ſcribit Samuel Tennulius in notis in Jamblichum, p. m. 189. b. edit. Daventr. M. DC LXVII. in 4to. Priſci Mathematici numeris demonſtraverunt, ut conſtat ex Eutocio Aſcalonita in commentario ad prop. II. lib. I. Apollonii Pergæi. *Non perturbentur*, inqvit, *qvi in hoc inciderint, qvod illud ex arithmeticis demonſtretur: Antiqvi enim hujuſmodi demonſtrationibus ſæpe uti conſveverunt, qvæ tamen Mathe-*

thematica potiùs ſunt, qvàm Arithmetica, propter analogias. Adde qvòd quæſitum Arithmeticum eſt; nam proportiones, proportionum qvantitates & multiplicationes primò numeris, ſecundò loco per numeros & magnitudinibus inſunt. Ger. Jo. Voſſius de Scientiis Mathemat. c. LIII. §. 5. p. m. 323. vocat *Dibaudium*, ſcribítqve Demonſtrationem ejus editam eſſe Arnhemii Geldriæ ab Janſonio.

LXXVIII. DINARCHI, Olympiade CXV. florentis, tres exſtant Orationes, in qvibus prima adverſus Demoſthenem eſt de Harpalicis pecuniis; qvam Gul. Canterus Latinè vertit; ſecunda contra Ariſtogitonem, tertia ad Philoclem, utramqve in Latinum convertit Balduinus Iſchanus Gandavenſis. Prodiêrunt Orationes Dinarchi, Lycurgi, Lesbonactis, Herodis & Demadis Græcè ac Latinè cum dedicatione Jani Grüteri (e cujus Bibliotheca in meam venerunt, ut manus & notæ ejus adſcriptæ, imò & ipſum nomen in principio libri poſitum teſtantur) Hanoviæ M. DC XIX. in 8t. *Stylum*, de ſententia Ger. Joh. Voſſii, lib. de Rhetoricæ natura, c. XI. p. m 83. Dinarchus *habet civilem, perſpicuum, probabilem, & eſt ſpiritus vehementis. Sed*

eſt aſperior in ſenſibus, ac methodo, ac minus eſt vehemens, & gravis. Demoſthenicum qviddam habet, ſed eſt inflatior: unde (ut Hermogenes περὶ ἰδεῶν *ſcribit)* κρίθινον Δημοσθένην hordearium Demoſthenem, *aliqvi dixere. Nec methodi &* οἰκονομίας *ſatis eſt obſervans; unde &, Dionyſio Halicarnaſſ. teſte, p.* 115. *vocabatur* ἀγροικὸς Δημοσθένης, agreſtis Demoſthenes. Memoratur & Ammiano Dinarchus; lib. XXX. c. IV. p. m. 643. edit. hic Lugduni 1693. in 4to.

LXXIX. In DIONE Caſſio hoc obſervat Jo. Henr. Boeclerus, c. I. Characterum Politic. in Vellejo, p. m. 11. (numerum exemplo meo adſcripſi) qvòd *ubiqve incomparabili dexteritate ingeniorum arcana evolvit, & rempubl. tractantibus, aut tractaturis inſinuat.* Ἔςι ἢ τὴν φράσιν, ſcribit Photius de Dione, cod. LXXI. extr. col. m. 105. extr. μεγαλοπρεπῶς τε καὶ εἰς ὄγκον διεσκευασμένος, ὅτι καὶ μεγάλων ἔργων ἐννοίας ἀπαγγέλλει· ἀρχαϊκῶν τε αὐτῷ συντάξεων ὁ λόγος μεςός: καὶ λέξεων πρεπουσῶν μεγέθη, περίοδοί τε μετὰ παρενθέσεων περιτετραμμέναι: καὶ ὑπερβατῶν εὔκαιρος χρῆσις. ῥυθμός τε καὶ ἀνάπαυσις εἰς ἐπιμέλειαν ἠσκημένα, διὰ τὸ σαφὲς, οὐκ ἔςι τοῖς ἁπλῶς ἀναγινώσκουσιν ἐμφανῆ. ἐν δέ γε ταῖς ἱςορίαις καὶ δημηγορίαις καὶ μιμητὴς ἄριςος

Θου-

Θουκυδίδου: πλὴν εἴη πρὸς τὸ σαφέστερον ἀφορᾷ· σχεδὸν ἢ κἂν τοῖς ἄλλοις Θουκυδίδης ἐστὶν αὐτῷ ὁ χανών. i. e. *Grandis* Dionis *ſermo*, *&* *tumidus*, *eò qvòd rerum ingentium ſenſa adferat. Veteris item ipſi conſtructionis ſermo plenus, verborúmqve, qva rerum magnitudini reſpondeant. Periodi parentheſibus trajectæ, & hyperbatorum opportunus uſus. Numeri porrò, & interciſio, etſi accuratè adhibita, ob orationis tamen perſpicuitatem, obiter legentibus non ſunt manifeſta. In narrationibus præterea & concionibus, Thucydidis maximè eſt æmulus; niſi qvòd ad perſpicuitatem magis tendit: cætera ferè Thucydides illi norma eſt, ac regula.*

LXXX. Verbis: DIO CHRYSOSTOMUS, *Cornu eſt qvoddam, ut ajunt, Amalthea, ita dicendi vehementiâ, ubertate & varietate præſtat*; Cauſſinus, III. de Eloqventia, c. XIV. p. 167. b. in margine adſcripſit: *Photium in Bibliotheca*: At ego in Photio, cod. CCIX. col. m. 529. 531. id non reperi. Δεξιὸς, inqvit, περὶ τοὺς λόγους ἔδοξεν εἶναι, καὶ μάλιστα τοὺς ὅσοι ῥυθμίζειν συμβουλεύουσι τὰ ἤθη. i. e. *in dicendi arte acutus ac ſolers eſt habitus, præſertim ſi de componendis moribus dandum eſſet conſilium.* Item, Δριμύς τε γάρ ἐστι τοῖς ἐνθυμήμασι, καὶ τὸ συνεστραμμένον, πρός γε τὸ αὐτοῦ χαρακτῆρα τῶν λόγων

 ἔχων,

ἔχων, καὶ τὸ ἔντονον μετὰ τοῦ γονίμου πλουτῶν. ἄριστος δὲ τοῖς παραδείγμασι, καὶ πολύς ἐστι πανταχοῦ, καὶ ποικίλης ὕλης λαμβάνων αὐτὰ, καὶ προσφυῶς ἁρμοζόμενος. χαίρει δὲ μάλιστα καὶ μυθολογήμασι τὰς παραινέσεις συνδιαπλέκειν, διὸ καὶ τὸ ἀφελὲς διώκειν δοκεῖ. i. e. *nam & acrius enthymematis inſtat, & brevem atque contortam orationem (quod ſaltem ad characterem) adhibet, & vehementiâ cum ubertate abundat. Exemplis inſuper maximè præſtat, quæ ubique multa è variis petita rebus, aptiſſimè ad propoſitum argumentum accommodat. Libentiſſimè quoque fabuloſas narrationes aliquas monitionibus intexit, ut eam etiam ob rem ſimplex dicendi genus conſectatus videri poſſit.* Et col. 531. ἀφελὴς μὲν οὖν ἐστι τὰ πολλὰ, ὡς ἔφθην εἰπὼν, ταῖς ἐννοίαις. καὶ τῶν τε καθωμιλημένων αὐτῷ καὶ ἐπιπολαζουσῶν αἱ λέξεις. καὶ οὐδὲν οὐδ᾽ ἡ σύνταξις οὐδ᾽ ἐπὶ τὸ βαθύτερον, οὐδ᾽ ἐπὶ τὸ καθηδυνόμενον, ἐκνεωτερίζει. καὶ τό γε ἐπὶ τοῖς ῥήμασι καὶ τῇ συμπλοκῇ τῶν ὀνομάτων, οὐ σαφοῦς ἂν τις ἐλπίσειε τὸν συγγραφέα κατεστοχάσθαι. ἀλλὰ τό γε διὰ μακροῦ τὴν τῆς διανοίας ἀπόδοσιν περιϊέναι, καὶ ταῖς ἐπιβολαῖς ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον τὸν λόγον διαπεπλέχθαι, οὐκ ἐπὶ μικρῷ τῆς τοιαύτης αὐτὸν ἐκκλείει ἰδέας. ἀλλὰ ταῦτα μὲν παραλλαγὴ ἰδέας, καὶ χαρακτῆρος ἰδίωμα, ἀλλ᾽ οὐκ αἰτίας ἴσως ἔνδειξιν ἔχει. τὸ δ᾽ ἐπὶ μακρότατον ἀποτείνειν

τὰ

τὰ προοίμια ἢ τὰ οἷον προοίμια, οὐκ ἔτι ἀφίησιν αὐτὸν τὸ μὴ ἀντὶ οὐχὶ πολιτικοῦ καὶ συγγραφικοῦ τύπου τοῦ ἐπὶ ταῖς συνουσίαις ἀλλάξασθαι παραδεδυκότα, καὶ μείζω τὴν κεφαλὴν τὴν ὡς ἐν τῷ λόγῳ τοῦ λοιποῦ σώματος διαπλάττειν. i. e. *Simplici igitur ideâ plurimum eſt uſus (ut paulò ante diximus) in ſenſibus, vocabulis item familiaribus, & paſſim obviis, nihilqve compoſitio habet aut ſublimitatis oſtentandæ, aut captandæ jucunditatis gratiâ innovatum. Et verò in verbis ſaltem, nominúmqve conjunctione, perſpicuum dicendi genus ſcriptorem hunc propoſitum habuiſſe exiſtimes: ſed dum longiùs ſententiæ redditionem producit, digreſſionibúſqve ut plurimùm orationem intertexit, non parum ab hoc inſtituto deflectit. Qvanqvàm hæc qvidem varietas qvædam ideæ, characteris proprietas, non pro vitii indicio haberi forſitan poſſint. At qvòd exordia, aut qvæ exordiorum inſtar ſunt, longiſſimè producat, id jam palam facit, & eum neqvaqvam familiarium congreſſibus accommodatam dicendi formam pro civili & hiſtorica uſurpare, & majus qvaſi caput, qvàm reliqvum ſit orationis corpus, effingere.* Qvæ verba Cauſſinus cit. locô reſpexit, ſuperioribus ſubponens hæc: *Si qvidem Platonem & Demoſthenem ſeqvutus, candore qvodam ac contortâ ſimplicitate reſpondet, ut ait Philoſtratus* καθάπερ

 αἱ

αἱ μαγάδες τοῖς ὀργάνοις προσηχεῖ. Ut organis aſſonant tibiæ; ſic ille magnis iſtis Heroibus, elegantibus modulis accinit. In eo excellens affectuum temperatio, vibrata acriùs enthymemata, exemplorum copia, ac plerumqve ad exhilarandam orationem fabulæ, narrationéſqve intertextæ. Compoſitio, ut Philoſophum decebat, nihil habet, aut ſublimitatis oſtentandæ, aut captandæ jucunditatis gratiâ innovatum. Meum Dionis Exemplum exiit Lutetiæ typis regiis M. DC IV. in fol. cum interpretatione Thomæ Nageorgi, & ſcholiis Iſ. Caſauboni & Feder. Morelli.

LXXXI. Etſi ex univerſa DIODORI Siculi Bibliotheca, ſeu univerſalis totius fere orbis habitati Hiſtoria, omnium accuratiſſimè temporibus & annis ſingulis diſtincta, uſqve ad Julii Cæſaris tempora libris XL. comprehenſa, XV. tantummodò libri exſtant, & in his, qvinqve priores exactâ temporum diſtributione carent; auctore *tamen* Davide Chytræô in Chronologia Herodoti & Thucydidis, p. m. 36. *inprimis grata & dulcis cæterorum Diodori librorum lectio, omnibus ſtudioſis eam qvoqve ob cauſam eſſe debet, qvòd nemo ferè, inter omnes hiſtoricos, diligentiùs & exactiùs, tempora & annos ſingulos diſtinxit: & res omnes eodem tem-*

tempore in diverſiſſimis mundi partibus geſtas, majori perſpicuitate & luce, ſuô qvaſqve locô, ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἦγε, ſub unum aſpectum poſuit, & velut in Tabula ſimul adſpiciendas exhibuit.

LXXXII. DIONYSIUS Halicarnaſſeus Photio, Codice LXXXIII. col. m. 201. extr. ἔστι δὲ τὴν φράσιν καὶ τὴν λέξιν καινοπρεπὴς, καὶ ἐς τὸ ἀνακεχωρηκὸς τῶν πολλῶν, τῶν λόγων ἐκβιαζόμενος. ἡ δὲ κατὰ μέρος διήγησις μετέχειν τε τῆς κατὰ διάνοιαν ἀφελείας ποιεῖ, καὶ οὐδ᾽ εἰς τὸ ἄχαρι καὶ σκληρὸν ἐπιτρέπει παρασυρῆναι. κέχρηται δὲ καὶ παρεκβάσεσιν οὐκ ὀλίγῃ, τὸν ἀκροατὴν ἀπὸ τοῦ περὶ τὴν ἱστορίαν, κόρου. διαλαμβάνων ταύτῃ, καὶ ἀναπαύων καὶ ἀνακτώμενος· εἰπεῖν δὲ συντόμως, ὅτι καὶ τὸ κομψὸν τοῦ λόγου, τῇ τε κατὰ μέρος ἀφηγήσει καὶ τῇ παρεκβάσει κεκοσμημένον, τὸ ἐπὶ τὸ τραχύτερον ῥέπουσαν θεραπείᾳ συνέπεισαν. i. e. *Stylus* Diodori *atqve dictio novatorem decet, & verò per inſvetam vulgò viam, orationem impellit. At rerum ſingularum minuta explicatio & ſenſus, illi qvandam ſimplicitatem adfert, & ne ad ingratum ſermonem atqve aſperum abripiatur, vetat. Digreſſionibus utitur non raro: qvare hiſtoriæ faſtidium levat, reficitqve lectorem interdum, ac retinet. Ut autem verbô expediam, orationis elegantia rerum particularium narratione & digreſſione temperata,*

 rata,

rata, dictionem in aſperitatem abituram lenit. Nicolao Cauſſino, lib. III. de Eloqventia, c. XIV. p. 168. a. videtur auctor ſanè bonus, ſed qvi plus habeat, ut adparet, in ſcribendo moroſæ eloqventiæ, qvàm felicitatis. Iſ. Caſaubonus, Comment. in Polybium, p. m. 94. edit. Amſtelod. 1670. in 8t. Dionyſium cenſet *qvidem virum eſſe doctiſſimum & Rhetorem ac Criticum excellentiſſimum: ſed profectò Politicum interdum parùm bonum, & cenſorem alienorum ſcriptorum alicubi moroſum*; ſi non *putidum*. Rempubl. Romanam dilucidè ante oculos ponit, qvibus initiis, qvô ordine, qvibus actionibus, qvô conſiliô, qvô eventu ſingula geſſerit, egregiè ratiocinando, recenſet. Eam laudem illi tribuit Scaliger, apud Georg. Andr. im Hoff Patricium Noribergenſem, p. m. 83. Politici Græci, editi Noribergæ M. DC LVIII. in 12. qvòd accuratiùs, ac, ut ita dicam, religioſiùs, tempora nemo obſervârit; & præcipua qvidem eſt laus hæc in Hiſtoria, qvæ dicitur eſſe Lux temporum. Livio qvoqve in ea parte præfertur, qvòd plura, qvàm ille ſcribat, & diligentiùs enarret, qvæ ad Romanas Antiqvitates pertinebant. Cujus exemplum ſubminiſtrat C. Barthius in Animadverſionib. in

Clau-

Claudiani Panegyr. in IV. Conſulat. Honorii v. 406. p. m. 676. b. edit. Francof. M. DC L. in 4to.

LXXXIII. Laudat Martini DORPII *felix ingenium, & ad qvidvis verſatile, nec infeſtivum*, Eraſmus in Ciceroniano, p. m. 376. addens: *Sed alienis judiciis, qvàm ſuô uti maluit. Tandem Theologiæ ſtudium retraxit hominem a Muſis.* Scilicet Dorpius hic, qvod idem habet Eraſmus in Catalogo Lucubrationum ſuar. p. m. 42. (ſic enim ego meum exemplum Antverpienſe M. D. XXXVII. in 8t. numeris diſtinxi) *qvibuſdam inſtigantibus, primus omnium cœpit in* Eraſmum *velitari, cui reſpondit ut amico amicè, unicâ Epiſtolâ patrocinans* Moriæ & novo Teſtam. *Nec ob hanc*, pergit Eraſmus ibi, *velitationem diſciſſa eſt noſtra neceſſitudo, qvòd ſcirem, illum non odiô mei huc veniſſe, ſed juvenem tum ac naturâ facilem aliorum impulſu protrudi.* Dorpius in Epiſtola ſua Eraſmi Moriam inſimulat, & ad ſapientiæ laudem invitat: inſtitutum ejuſdem Eraſmi de emendando Græcis e codicibus Novo Teſtamento tam parum probat, & tam anguſtis limitibus ut coarctet, ſvadet, ut in univerſum penè diſſvadeat. Eraſmi Moriæ Encomium cum commentariis Gerhardi

Liſtrii, Dorpii Epiſtol. ad Eraſmum, hujúſqve Epiſtol. Apologetic. ad Martinum Dorpium lego ex editione Lutet. M. D XIX. in 4to. Apologiam Thomæ Mori pro Moria Eraſmi habes in Epiſtolis Mori, n. I. p. m. 365. ſ. edit. Baſil. 1563. in 8t.

LXXXIV. Iſ. Caſaubono in Sveton. V. c. I. p. m. 434. b. edit. Hag. M. DC XCI. in 4to. EPIPHANIUS *ſcriptor pius magis & doctus qvàm elegans eſt.* Neqve adeò prudens Socrati viſus eſt, cujus e lib. VI. c. X. hæc addo: Ἐπιφάνιος δὲ δι' ὑπερβάλλουσαν εὐλάβειαν ἁπλοϊκὸς ὢν τὸν τρόπον, ταχέως ὑπήχθη ὑπὸ τῶν Θεοφίλου γραμμάτων; i. e. *Epiphanius verò ob ſingularem pietatem ſummâ morum ſimplicitate præditus, Theophili litteris facilè inductus eſt.* Vide Nicol. Vedelium de Prudentia Veteris Eccleſ. lib. III. c. VIII. p. 319. B. D. Joh. Hülſemann. Diſſert. de Correptione Fraterna, n. 147. 154. p. 243. 245. ſ. & Laurent. Ludovicum Leobergenſem Sileſium, Orat. IV. p. m. 83. ſ. edit. Heidelb. CIↃ IↃC XIV. in 8t. Joſeph. Scaliger, l. Epiſt. IX. p. m. 95. Epiphanium his laudat: *Non poſſum narrare qvantô gaudiô me affecit Epiphanius, qvem miſiſti. Ego illum totum devorabo, cujus olim avidiſſimus helluo fui. Pauci agnoſcunt illum penum veteris Chriſtia-*

ſtianiſmi. At enim, ſi Oporinum Grubinium, p. m. 10. Amphotid. Scioppian. audimus, eodem Scaligerô auctore, fol. 50. Scalig. Hypobol. Epiphanius *neſcit, qvod pueri ſciunt, Hebraicè imperitus eſt, Græce indoctiſſimus, inaccuratus, malignus, ineptus & imperitus, ac judiciô caret.*

LXXXV. EUNAPIUS Sardianus in de Vitis Philoſophorum & Sophiſtarum libro, interprete Hadrianô Juniô Hornanô apud Hieronymum Commelinum CIƆ IƆ XCVI. edito, qvi & Græca cum mſſis Palatinis comparavit, auxit, emendavit, & Eunapii Legationes e Bibliotheca Andr. Schotti Antverpiani addidit, in 8t. *peculiari qvadam phraſi, & brevitate tenebroſâ ac ſubtilitate qvidqvam habet immutabile*, ut eidem Junio videtur, p. m. 273. Epiſtolarum, Dordrechti M. DC(D. mendum eſt) LII. in 12. edit. *alioqvi nitore verborum & adagiorum raritate atqve elegantiâ illuſtris. Itaque*, pergit, *nec poteſt, nec debet levi qvodam brachiô (qvô vitiô Germania laborat) percurri, ſed accuratâ dicendi ratione exprimi.* Adde p. 304. extr. & hæc ejuſdem verba e Vita Eunapii extrema, dictæqve editioni præfixa: *Dicendi genus non Aſiaticum, qvod redundante verborum copiâ luxuriat, ſed nitidum &*

& picturatum, Sophiſtarum genti tunc peculiare, videtur ſecutus, qvod res non adumbrat, ſed vivis potiùs coloribus exprimit, atqve ita ob oculos exponit, ut coràm cernere videaris, conciſius tamen: adde qvod & floſculos eruditos undecunqve e poëtis & philoſophis delibat, orationiqve, ceu ſtellas aſpergit. Idem ille Junius, eadem in vita, paginâ præcedente: *Scripſit,* inqvit, *& Chronologiam, ſive Annales, qvô opere Cæſarum hiſtoriam, ab Herodiani uſqve temporibus exorſus ad ſua pertexit, qvod intelligo in Veneta bibliotheca monumentum aſſervari.* At Joan. Lewenklaw in Epiſt. LXXII. Centuriæ Epiſtolar. Philologicar. qvam Melchior Haiminsfeldius Goldaſtus conlegit, p. m. 304. ſ. edit. Lipſienſ. M. DC LXXIV. in 8t. hæc ad Henr. Stephani ſcripſit: *Scis in qva tempora deſinat is, qvem dixi, Herodianus. Eorum temporum hiſtoriam nulli pleniùs exceperunt, qvàm Eunapius & Zoſimus. Eunapii fuêre libri XIV. qvi nuſqvàm exſtant, ne qvidem in Italia: Zoſimi ſex tantùm. Photius in bibliotheca narrat, eaſdem res ab utroqve ſic tractatas, ut una videatur hiſtoria. Stilum &* φράσιν *diverſam facit, Eunapianam ob prolixitatem* καὶ τροπὰς *freqventiores improbans, Zoſimæam laudans,* ὡς σύντομον, καὶ εὐκρινῆ, καὶ καθαρὸν, οὐδὲ τοῦ ἡδέος ἀ-

πω-

πωκισμένην. Cauſſino, III. de Eloqventia, c. XIV. p. 169. a. Eunapius, *impiorum laudator, piorum verò imperatorum, ſicut & Zoſimus, inſectator, dictione ſatis eſt ornatus, nec non compoſitione, atqve ſtructurâ orationis, cultus; καλλιεπής ἐστι τὴν φράσιν: hæc tamen, quæ adfectat,* ἀλεκτρυονῶδες, ἐλεφαντοδέστερον (f. ἐλαφωδέστερον) καὶ συωδέστερον, *& reliqua ſimilia, Photio non placent*, cod. LXXVII. col. m. 169.

LXXXVI. De utilitate & ſtilo EURIPIDIS audiemus Fabium, Inſtitutionis X. c. I. differentem: *Illud qvidem nemo non fateatur neceſſe eſt, iis, qvi ſe ad agendum comparent, utiliorem longè* Euripidem *fore.* (Sophocle) *Námqve is & in ſermone (qvod ipſum reprehendunt, qvibus gravitas & cothurnus & ſonus Sophoclis videtur eſſe ſublimior) magis accedit Oratorio generi: & ſententiis denſus, & in iis, qvæ a ſapientibus tradita ſunt, penè ipſis par, & in dicendo ac reſpondendo cuilibet eorum, qvi fuerunt in foro diſerti, comparandus. In adfectibus verò cùm omnibus mirus, tùm* in iis, *qvi miſeratione conſtant facilè præcipuus.* Inde Veteres Critici Sophocli μεγαλοφωνίαν, Euripidi κυριολογίαν, Sophocli λογιότητα, Euripidi σοφίαν, Sophocli φύσιν, Euripidi πάθος tribuebant. *Hoc ego,* inqvit Joſua Barneſius in Euripidis Vita præ-

præfixa Cantabrig. edito Euripidi M. DC XCIV. in fol. p. m. 18. §. XX. *meô nomine polliceri audeo, qvod vel* Annotationibus *meis abundè patere poſſe puto*, Euripidem πολυμαθέςατον *&* φιλολογώτατον *omnium ubiqve Gentium Poëtarum Tragicorum & Comicorum extitiſſe; adeò ut qvum ipſe Plato in Lyſide fateatur, Poëtas* πατέρας τῆς σοφίας καὶ ἡγεμόνας, Euripidem *inter ipſos Poëtas, ſaltem Tragicos, patrem & ducem liceat appellare.* Æmilius Portus in Dedicatione Euripid. eum γνωμικώτατον καὶ πολιτικώτατον habet.

LXXXVII. Hiſtoriam Eccleſiaſticam *atqve res geſtas*, verba ſunt Andr. Hyperii, IV. de ratione Studii Theologici, c. IX. Obſ. XIV. p. 739. *ſic videmus eleganter & nitidè expoſitas ab* EUSEBIO *Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo, probabile ut ſit, non facilè qvenqvam poſſe eum conſeqvi, nedum antevertere. Qvanqvàm dum iſtud dicimus, Theodoretum epiſcopum Cyrenſem, Socratem Conſtantinopolitanum, Sozomenum, & horum omnium imitatorem Nicephorum promeritâ fraudari laude nemo putabit. Sed ſuperat ille omnes, qvando admiſcet pleraqve de illuſtrium ſcriptorum editis voluminibus: præterea multa fortiter, ſapienter, religiosè, non facta modò, verùm etiam dicta, ad hæc epiſtolarum de arduis negotiis exemplaria*

non

non pauca fideliter interponit, adjutus nimirum bibliothecâ, qvam ipſe cum Pamphilo martyre prædivitem & exqviſitam Caſareæ comparaverat. Non diſſentit incomparabilis D. noſter Chemnitius, cujus verba in Oratione de Lectione Patrum, Locis ejus Theologicis Francof. M. DC LIII. in fol. editis præmiſſa, p. m. 4. b. ſunt hæc: *Hieronymus* (Epiſt. ad Pammach. & Ocean. LXV. p. m. 129. C. Tom. I. Operum, edit. Francof. M. DC LXXXIV. in fol.) *dicit*, Eccleſiaſticam pulchrè Euſebius hiſtoriam texuit. *Et Baſilius vocat eum ἀξιόπιστον. Et res ipſa oſtendit, ſcriptum eſſe neceſſarium, cùm illi auctores, unde ipſe ſumſit, interciderint: & tamen major eſt gravitas in illius hiſtoria, qvàm in Nicephori. Chronicum ipſius (qvanqvam ſecutus ſupputationem Septuaginta in temporibus non præcisè conveniat) propterea laudem meretur, qvòd viam patefecit reliqvis ad diligentiorem ſupputationem. Non enim facile eſſet (ne dicam impoſſibile) contexere chronologiam omnium temporum, ſi non poſteritas ejus veſtigia, qvæ ſeqveretur, haberet. Reliqvi libri de Demonſtratione & Præparatione diligenter ſunt ſcripti contra gentiles, ſed non habent multa doctrinalia, unde lector admodùm poſſet juvari, præter hiſtorica qvædam. Eccleſiaſticam hiſtoriam vertit* Ruſ-

Ruffinus, ſed ſuô more: ideò Græcè commodiùs legi poteſt. Auctore b. D. Davide Chriſtiani, Diſp. IV. de Meſſia §. 217. p. m. 121. edit. Giſſ. M. DC LVII. in 4to. *Solus* Euſebius *eſt inter antiqviſſimos, qvi Hiſtoriam Eccleſiaſticam uſqve ad Annum Chriſti CCCXXXVIII. accuratè pertexit.* Plura de hoc congeſſit in p. m. 3. ſ. eruditi Schediaſmat. de Univerſali Theologor. Euangelicor. Hiſtoria Joh. Chriſtoph. Rumetſchius, ſatis iis artibus politus, qvas qvi tenent, eruditi adpellantur, editi Spiræ Nemet. M. DCLXXIX. in 4to. Plura qvare non addam, cùm de ratione compertum habeas; referre nihil adtinet. DEUM oro, ut TE multis bene conſtituti florentem animi dotibus, qvòd divinô qvodam donô Tibi datum ſit parentum prudentiſſimorum tuorum conſiliis inſcitiam ineuntis tuæ pueritiæ rexiſſe, & lubricum illud juvenilis ætatis tempus ſtabiliviſſe, per optimæ adoleſcentiæ reliqvæqve omnis vitæ Tuæ partes ita ducat, ut jam non Patriæ modò ſed univerſo litteratorum hominum ordini prodeſſe poſſis. Vale. Scribebam Lugduni in Batavis A. D. III. Nonas Octobr. CIↃ IↃCC V.

F I N I S.

234745 A

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google